DE USU PARTICULAE

ΠΡΙΝ

THUCYDIDEO ET XENOPHONTEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCHIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS WAGNER

PARCHIMENSIS.

SUERINI.

TYPIS EXPRESSIT GUILELMUS SANDMEYER.

MDCCCLXXIX.

RICHARDO FOERSTER

SACRUM.

Difficillima rerum grammaticarum problemata non prius solventur, quam, qualis scriptorum singulorum in singulis rebus fuerit usus, diligenter investigatum subtiliterque perspectum sit. Haec ratio maxime in πρίν particula probata videtur, quoniam proximis annis viri docti alii alios scriptores sibi perscrutandos elegerunt. Nihil enim in natura huius particulae cognoscenda proficeremus, si rationem vetustiorum grammaticorum, velut Vigeri, sequeremur, qui ut ‚multiplicem particulae πρίν potestatem' illustret locos Homeri, Sophoclis, Demosthenis, apostolorum, Pausaniae varie commixtos nobis apponit.[1]) Melius iam Elmsleius de usu coniunctivi a πρίν particula pendentis egit.[2])

Viam πρίν particulae monographice, ut ita dicam, tractandae primus ingressus est Foerster duabus dissertationibus, quarum in altera de usu Homerico et Hesiodeo,[3]) in altera de usu, qualis fuerit apud scriptores Ionicos, disputavit.[4]) Eum secutus est Richter, qui de particulis πρίν et πάρος earumque usu Homerico disputationem instituit.[5]) Deinde ante hos duos annos dissertatio Prausii in lucem prodiit, qui quem Aeschylus, Sophocles, Euripides, Aristophanes secuti sint usum

---

1) Francisci Vigeri Rotomagensis de praecipuis Graecae dictionis idiotismis liber (edid. G. Hermannus) pag. 442.

2) Ad Eurip. Med. vers. 215.

3) Miscell. soc. lat. Vratisl. 1863, pag. 9—19.

4) Miscell. sem. lat. Vratisl. 1865, pag. 1—7.

5) De particulis πρίν et πάρος earumque usu Homerico diss. Lipsiae 1874.

exposuit.[1] Postremo nuperrime Lueth eiusdem particulae apud oratores Atticos usum in quaestionem vocavit.[2] Huic dissertationum familiae meam, quae est de usu Thucydideo et Xenophonteo, asserere ausus sum. Neque vero id me consequi posse existimavi, ut controversias ancipites de πρίν particula institutas absolverem atque profligarem. Officio satis fecisse mihi videor, si materiem disputandi ita congessero, ut qui quaestionem universam tractare velit fructum inde capere possit.

---

[1]) De particulae πρίν usu tragico et Aristophaneo diss. Halis Saxonum 1876.

[2]) De usu particulae πρίν qualis apud oratores Atticos fuerit diss. Rostochii 1877.

Caput I.

De usu infinitivi a πρίν particula pendentis Thucydideo et Xenophonteo.

§ 1. De origine infinitivi cum πρίν particula coniuncti.

Materiam omnem legem quandam logicam atque historicam respiciens digessi. Primo igitur loco infinitivum cum πρίν particula iunctum tractabo, deinde de indicativo, postremo de coniunctivo optativoque disputabo. — Sed antequam ad rem ipsam aggrediar nonnulla quasi prooemii loco mihi ponenda sunt. Missam facio etymologiam particulae πρίν, de qua cum Richtero,[1]) Prausio,[2]) Luethio[3]) consentio, qui Curtium[4]) secuti πρίν ex comparativo προϊον ortum statuunt. Perscrutandum autem est, quomodo factum sit, ut πρίν particula modo infinitivum, modo verbum finitum ascisceret. Infinitivi structura quoniam apud Homerum omnibus fere locis unica adhibetur, omnium consensu antiquissima habetur. Haec quaestio diu multumque iactata nec ab iis, qui antea πρίν particulae usum disquirendum susceperunt, neglecta quod a me recoquatur, sint fortasse qui mihi opprobrio vertant. Sed quum in animum inducere nequeam ut in priorum opinionibus acquiescam, quumque

1) Richter, l. l. pag. 6.
2) Prause, l. l. pag. 2.
3) Lueth, l. l. pag. 6.
4) Curtius, Grundzüge s. v.

haec disceptatio in multis partibus ambigua sit, ipse quae de rebus controversis sentiam in lucem proferre audeo.

Tres illi viri docti, quorum postremo loco laudavi dissertationes, *πρίν* particulam correlationis via coniunctionem esse factam persuasum habent. Haec hypothesis imprimis ea Graecorum praecipueque Homeri consuetudine nititur, qua idem vocabulum *πρίν* vel aliud similis notionis adverbium etiam in enuntiato primario poni solet. Sed cavendum est, ne hac geminatione ad correlationem statuendam pelliciamur. Haec enim ut agnoscatur oportet duo esse enuntiata, quae pari iure praedita inter se respondeant.[1]) Exemplum verae correlationis est illud Homericum *Δ* 220—221:

ὄφρα τοὶ ἀμφεπένοντο βοὴν ἀγαθὸν Μενέλαον,
τόφρα δ' ἐπὶ Τρώων στίχες ἤλυθον ἀσπιστάων.

Semper duo enuntiata discernenda sunt, quae eodem tempore quasi concurrunt. Contra afferamus exemplum particulae *πρίν* *Α* 97—98:

οὐδ' ὅγε πρὶν Δαναοῖσι ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει,
πρίν γ' ἀπὸ πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην.

Hunc Iliadis locum nec Richter nec Lueth optimum correlationis testem proferre dubitarent, quippe qui non solum *πρίν* — *πρίν* exhibeat, sed etiam negationis praesentia Luethii opinioni satisfaciat.[2]) Sed correlatio ubi est? Nulla alia his verbis subest ratio quam haec: Actio primaria non ante secundariam perfectam ad effectum veniet. Quomodo enuntiatum certis finibus absolutum cum mera verbi actione infinitivo expressa correlationem inire potest? Haec enim infinitivi actio utrum re vera perficiatur, an cogitata tantum imperfecta maneat, nihil prorsus refert. Multo autem magis mihi mirum videtur, quod tres illi viri ex infinitivo modos finitos provenisse

---

[1]) Vide Hartung, Griech. Partikeln pag. 61. ‚Correlation ist Einklang und Wechselbezug paralleler Saetze.'

Cf. Curtium in Erläuterungen pag. 190.

[2]) Lueth, l. l. pag. 7.

arbitrantur. Mihi quidem persuasum est πρίν adverbium duas ingressum esse vias, quarum altera et illa quidem prior ad infinitivum, altera ad modum finitum fuerit. Itaque priore loco quaeritur, quomodo factum sit, ut ex adverbio πρίν particula infinitivum regens evaderet. Viri illi doctissimi correlationis opinioni nimis indulgentes hanc difficultatem, quae in origine infinitivi a πρίν particula pendentis posita est, subterfugerunt. Ad illud Langii:[1] ‚Nicht blos das verbum finitum, sondern auch das nomen (substantivum wie adjectivum), ja sogar eine bestimmte casusform oder auch ein adverbium, beziehungsweise ein durch praeposition und casus gebildeter adverbieller ausdruck hat die faehigkeit in sich, praedikativ verwendet zu werden‘ quasi in confugium sese recipiunt. Quae vox ad intimam rei rationem enucleandam haud multum valet.

Πρίν proprie adverbium esse atque hac significatione praeditum haud raro in Homeri carminibus occurrere nemo fere infitiabitur.[2] Quid? Nonne iure miramur, quod idem vocabulum saepissime apud Homerum cum infinitivo coniunctum videmus, quamquam infinitivus a praepositione sive notione adverbiali pendens ceteroquin a dictione Homerica abhorret? Quomodo igitur in ipsa particula πρίν usus tam amplus ac multiplex explicatur? Bernhardy[3]) infinitivum ex verbo dicendi vel sentiendi pendere statuisse videtur, quod re vera numquam appositum in sententiarum conexu lateat. Aliam ellipsin Herzog[4]) statuit, qui infinitivum modo subiecti, modo

---

1) Ludw. Lange, der homer. Gebrauch der Partikel εἰ, Leipzig 1872, pag. 215.

2) Richter, l. l. pag. 9—26.

3) Bernhardy (Wissenschaftliche Syntax der griech. Sprache pag. 368) dicit: ‚Parenthetische Infinitiven beruhen auf der Ergaenzung eines subjectiven Begriffes, etwa λέγω oder ἡγοῦμαι; gueltig waren hier am meisten πρίν und ὡς. Cf. etiam pag. 400.‘

4) N. Jbb. f. Phil. u. Paed. CVII. pag. 17.

obiecti locum tenere existimavit, prout modo εἶναι, modo ποιεῖν ex enuntiato primario supplendum sit. Sed ex ellipseos figura artificiosissime a grammaticis conficta structurae tam vetustae et iam apud Homerum tam crebrae originem repetendam esse vereor ut probandum sit. Viam, qua ad veritatem propius accedamus, nobis aperit alius infinitivi Homerici usus. Etenim si legimus Ο 642:

ἀμείνων
παντοίας ἀρετάς, ἠμὲν πόδας ἠδὲ μάχεσθαι,

infinitivus μάχεσθαι, quum pari atque antecedentes accusativi potestate utatur, notione instructus est limitativa vel determinativa. Ea res sive facultas designatur, qua filius patri praestat. Melior est et pedibus et pugnando; nos diceremus: In Richtung, in Bezug auf —. Infinitivum autem imprimis directionem ad aliquam rem significare inter omnes nunc constat. Ratio nostri loci est haec, ut notio quae antecedit generalis (παντοίας ἀρετάς) accusativis ut grammaticorum termino utar, limitativis (πόδας et μάχεσθαι) accuratius definiatur atque in partes singulas dividatur. Eodem modo exemplum aliud Α 258 se habet:

οἳ πέρι μὲν βουλὴν Δαναῶν, πέρι δ' ἐστὲ μάχεσθαι
(qui et consilio Danais praestatis et pugnando);

cf. etiam Κ 437: θείειν ἀνέμοισιν ὅμοιος.

Primo aspectu elucet infinitivum pendere e notione comparandi, quae in vocabulis ἀμείνων, πέρι, ὅμοιος inest. Sed comparatio ita instituitur, ut non in universum fiat, sed ad singulas tantum partes pertineat. Neque enim, ut locum superiorem explicem, omnibus in rebus melior fuit filius patre, sed pedibus et pugnando. Hoc loco facere non possum, quin ὥστε particulam in comparationem vocem. Hanc enim e praepositione ὡς, quae directionem ad aliquam rem significat, originem duxisse satis constat. Quodsi notio cum ὥστε particula copulata toto enuntiato exprimitur, infinitivum postulari consentaneum est.

Iam transeamus ad quaestionem de particula *πρίν* coeptam. Si graece dicitur *τοῦτο ἐγένετο* (sive *οὐκ ἐγένετο*) *πρὶν ἄλλο τι γενέσθαι*, nonne eodem modo explicabimus: Das war eher in Bezug auf das Geschehen von etwas anderem? Habemus notionem comparandi quae sine dubio in *πρίν* particula inest. Illud autem *τοῦτο ἐγένετο πρίν* — non in universum ponitur, sed ad aliud quiddam refertur. Prioritas, ut cum philosophis loquar, actionis primariae non est absoluta, sed relativa. Limitatio ac circumscriptio notionis generalis exprimitur infinitivo. Hac structura nascente duae solum rationes patebant, aut illa quam modo nominavi *τοῦτο ἐγένετο πρὶν ἄλλο τι γενέσθαι*, aut altera *τοῦτο ἐποίησέ τις πρὶν ἄλλο τι ποιῆσαι*. Sed ubi primum vis particulae *πρίν* originaria obscurari atque in naturam coniunctionis commutari coepta est, hae duae rationes fieri non potuit, quin inter se commiscerentur. Ex quo factum est, ut aliorum etiam schematum structurae formarentur, velut *τοῦτο ἐγένετο πρίν τινα ἄλλο τι ποιῆσαι* sive *τοῦτο ἐποίησέν τις πρὶν ἄλλο τι γενέσθαι*. Ecce causam multiplicis infinitivi usus! — Sed dicet quispiam, quid? Repetitionem illam voculae *πρίν* apud Homerum tam crebram quomodo tu explicas? Ex nostra hypothesi sequitur particulam *πρίν* imprimis membrum esse enuntiati primarii, cuius inter verba proprius ei locus debeatur. Quoniam autem eadem particula ad infinitivum quodammodo pertinet, nonne consentaneum est eam perspicuitatis causa ante infinitivum quasi *ἐπαναληπτικῶς* repeti, praesertim si longius verborum intervallum intercedit?

Quod ut luculentius demonstremus, ex magna exemplorum silva hoc eligamus *X*, 154:

ὅθι εἵματα σιγαλόεντα
πλύνεσκον Τρώων ἄλοχοι καλαί τε θύγατρες
τὸ πρίν, ἐπ' εἰρήνης, πρὶν υἷας ἐλθεῖν Ἀχαιῶν.

Fuerat, quum Troianorum uxores filiaeque in pace atque otio vestimenta lavarent. Hoc temporis spatium triplicem in modum determinatur a poeta. Primo in

universum tempus nominatur prius (τὸ πρίν) id est praeteritum, deinde pacem tunc fuisse commemoratur (ἐπ' εἰρήνης), postremo arctior temporis descriptio additur (πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν). Haec tertia temporis circumscriptio primam rursus excipit atque accuratius definit: ‚prius enim quam fuit Graecorum adventus'. Nullo pacto fieri potuit, ut illud πρίν ante infinitivum omitteretur, quamquam eadem vox paulo ante exstabat. Correlatio vero hoc loco nihil ad rem facit. Nam hac inter duas sententias statuta periodus quaedam existat necesse est; hic autem nec πρότασιν nec ἀπόδοσιν habemus, sed unum enuntiatum primarium, cui infinitivus a particula πρίν pendens aeque ac notiones adverbiales τὸ πρίν et ἐπ' εἰρήνης insertus est. Quo magis autem vis adverbii πρίν primaria evanuit atque in naturam coniunctionis abiit, eo saepius illud antecedens adverbium omissum est; postremo nisi antecedente negatione, cui quasi adminiculo est, fere non invenitur. Nonnulla accedunt ad argumentationem nostram corroborandam. In Iliade exceptis duobus locis, ubi οὐ πάρος πρίν (*E* 218) et πρίν — τόφρα (*Φ* 100) legitur, idem semper adverbium πρίν antecedit; crebrius iam in Odyssea alia obvia sunt adverbia πάρος (β 127 et σ 288) πρόσθεν (ψ 138); in νεκυίᾳ vero iam πρίν ad adiectivum πρότερος referendum est (λ 88).[1] Praeterea infinitivus **post** enuntiatum primarium locum habere solet excepto uno Iliadis loco (*Φ* 100). Ea vero re nostram opinionem omnibus prioribus multo praestare putamus, quod discrimen inter sententias affirmativas et negativas constitutum nihil in eam cadit. Itaque usus ille Homericus infinitivum etiam in sententiis negativis adhibendi nulla nobis negotia facessit.

§ 2. Infinitivi a πρίν particula pendentis quae sit ratio.

Sed mittamus plures de origine ac historia particulae πρίν expositiones et disputationem in angustiorem

[1]) Delego ad Richterum, l. l. pag. 36, 37.

gyrum compellamus. Infinitivus cum πρίν coniunctus apud Thucydidem et Xenophontem quam rationem habeat ac quomodo usurpetur, perquiramus. Grammaticorum recentiorum de hac re praecepta afferre supervacaneum esse puto, quae quam sint futilia atque incerta et Prause[1]) et Lueth[2]) optime iam demonstraverunt. Mihi quidem in structura infinitivi intelligenda id imprimis tenendum videtur, de qualitate actionis secundariae nullum fieri iudicium, quae utrum sit vera an cogitata, ad rationem sententiae primariae nihil valet. Distinguendum autem est inter eos infinitivos, qui omni temporum ratione orbati ad tempus solum sententiae primariae determinandum spectant, et eos qui certo per se tempore constant. Eandem distinctionem Foerster in animo habuisse videtur, quum dicit:[3]) ‚His de iis locis, ubi πρίν cum infinitivo enuntiationis pendentis pars est, expositis eos aggrediar, in quibus πρίν cum infinitivo tempus actionis per se constantis describit ac definit.‘

Exemplis allatis discrimen facilius perspicietur. Legimus Thuc. VI, 61, 1: οἵπερ καὶ πρὶν ἐκπλεῖν αὐτὸν ἐπέθεντο.[4]) Illud πρὶν ἐκπλεῖν αὐτόν nihil aliud indicat nisi temporis spatium, quo adversariorum calumniae fiebant. Infinitivus tantum abest, ut periodum cum enuntiato primario efficere possit, ut membrum sit sententiae regentis. Propius ad similitudinem gerundii latini accedit. Vertemus igitur hunc locum hoc modo: qui etiam ante proficiscendum ei insidiati erant. Quin etiam omni enuntiati regentis dominatu liberatus ac quasi absolutus infinitivus occurrit uno Thucydidis loco III, 64, 3: τὴν τελευταίαν πρὶν περιτειχίζεσθαι πρόκλησιν — οὐκ ἐδέχεσθε, id est: ultimam ante obsidendum adhortationem

---

1) Prause, l. l. pag. 6.

2) Lueth, l. l. pag. 13.

3) Foerster in priore Misc. Vrat. libello pag. 17.

4) In locis Thucydideis citandis utor editionibus Imm. Bekkeri, Classeni, Stahlii, qui in paragraphorum numeris consentiunt.

non accepistis. Infinitivus cum *πρίν* particula coniunctus tamquam merum adverbium inter articulum et nomen ex Graecorum more interpositus est. Etiam longius progreditur illud Xenophontis Ἀγησ. 1, 5 *τῆς πρὶν ἄρξαι ἀρετῆς* (virtutis ante imperium susceptum spectatae), quum hoc loco etiam adiectivum, quo in Thucydidis exemplo *πρίν* fulcitur, absit. Neque tamen haec dictio a natura particulae *πρίν* abhorret. Iam Krüger [1]) huius generis exempla seclusit, quum *πρίν* particulam his locis praepositionis vi usurpatam esse dicat. Munus illud determinandi tempus actionis primariae ad rationem limitativam, ex qua infinitivum a *πρίν* particula pendentem ortum esse supra contendimus, facillime licet revocare. Haec sunt vestigia vetustioris, ut opinor, particulae *πρίν* usus.

Diversa est ratio alterius generis exemplorum. Afferam Thuc. I. 141, 1: *διανοήθητε ὑπακούειν πρίν τι βλαβῆναι.* Nullus hoc loco sermo est de temporis determinatione. Actio enim enuntiati secundarii imminens ne ad effectum veniat, actio primaria antecedat necesse est. Latet in infinitivo aliquid condicionale: namque sensus est hic: obsequendum vobis est, nisi detrimentum capere vultis. — Dictionis limitativae exempla plerumque in mera rerum gestarum narratione antecedente tempore praeterito occurrunt; alterius generis loci semper ad tempus futurum pertinent, ita ut infinitivus habeat notionem futuri exacti. Itaque omnem materiem ita disponemus, ut priore loco eos infinitivos a particula *πρίν* pendentes enumeremus, quibus in enuntiato primario antecedit tempus praeteritum, posteriore eos, quibus antecedit tempus futurum sive similis notio. Quum vero Thucydides infinitivum sexagies septies, Xenophon septies et centies adhibuerit, ne exemplorum multitudine obruamur, unumquemque scriptorem, priorem Thucydidem, posteriorem Xenophontem, solum pertractabimus. Hac

[1]) Krüger, in annotat. ad Thuc. I, 39, 2.

separatione id quoque consequemur, ut unius cuiusque proprietates melius cognoscantur.

§ 3. De usu infinitivi a πρίν particula pendentis Thucydideo.

Ac primum quidem sententia primaria continetur tempore praeterito, aut aoristo, aut imperfecto, aut praesente historico. Saepissime antecedit simplex aoristi indicativus I, 39, 2; I, 68, 2; III, 24, 2; IV, 22, 1; IV, 70, 3; IV, 83, 3; IV, 125, 3; IV, 135; V, 38, 2; V, 84, 4; VI, 61, 1. Duobus locis IV, 101, 3 et V, 45, 4 infinitivus cum πρίν particula iunctus referendus est ad aoristi participium. Ad aoristum prope accedit illud imperfectum, quod sensu aoristi usurpatur in verbis proficiscendi (cf. IV, 78, 5 ἐχώρει, V, 65, 3 ἀπῆγεν, VIII, 42, 1 ἐπέπλει, et dicendi II, 13, 1 προηγόρευε. Sed etiam imperfecta propria haud raro occurrunt II, 56, 1; VI, 97, 3; VIII, 45, 1. Non minus creber est usus praesentis historici; cf. II, 12, 2; II, 67, 3; II, 82; VI, 4, 3. Hoc loco etiam imperfecta vel praesentia iterativa nominanda sunt IV, 14, 1; IV, 67, 4; V, 60, 5 et I, 39, 1, quorum in ultimo loco τὸν πρὶν διαγωνίζεσθαι καθιστάντα participium praesentis cum articulo copulatum notionem habet iterativam. His addendus est unus locus, ubi praesens proprium exstat IV, 20, 1 (ἡμῖν δὲ καλῶς, εἴπερ ποτέ, ἔχει ἀμφοτέροις ἡ ξυναλλαγή, πρίν τι — καταλαβεῖν). Nunc horum locorum qualis sit indoles ac natura accuratius investigemus.

Primo loco infinitivus a particula πρίν pendens ad tempus actionis primariae determinandum spectat. Hoc sine dubio usu venit, si infinitivus temporis notionem habet ipse. Afferam IV, 67, 4: πρὶν ἡμέραν εἶναι ἐσῆγον. Haec verba nihil aliud significant quam: ἅμ' ἡμέρᾳ (mit Tagesanbruch) ἐσῆγον. Simile exemplum occurrit IV, 2, 1: πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι ἐσέβαλον. Quoniam autem frumenti maturitas certo anni tempore fieri solet, enuntiatum illud meram notionem temporalem acquiparat,

velut si Thucydides perrexisset: ὑπὸ σίτου ἀκμήν. (Cf. initium libri quarti, ubi legitur: τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους περὶ σίτου ἐκβολήν.) Iam vero in enuntiato primario exstant voces certum temporis spatium significantes, ad quas sententia a πρίν particula pendens dirigenda est. Exempli gratia affero I, 125: ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη, ἔλασσον δὲ πρὶν ἐσβαλεῖν. Quamquam negatio antecedit, tamen sensus est positivus: anno minus contritum est, antequam incursionem susciperent. Cf. VI, 2, 5. ubi ἔτη ἐγγὺς τριάκοντα arctissime cohaeret cum infinitivo. Quin etiam ad eam ventum est audaciam, ut notio quodammodo localis anteiret, ad quam particula πρίν pertineret. VI, 97, 3: στάδιοι πρὶν προσμίξαι ἐκ τοῦ λειμῶνος ἐγίγνοντο οὐκ ἔλασσον ἢ πέντε. Verte: stadia antequam manus conserere possent, inde a prato percurrenda erant non minus quam quinque.

Hanc vero locutionem Thucydides proprie adhibere solet, quum rem narratam sive narrandam certis temporum finibus circumscribere vult, ita ut terminum, post quem et terminum, ante quem res facta sit, indicet. Exempli gratia nomino VI, 4, 2: πρὶν δὲ ἀναστῆναι, ἔτεσιν ὕστερον ἑκατὸν ἢ αὐτοὺς οἰκίσαι, Πάμμιλλον πέμψαντες Σελινοῦντα κτίζουσιν. Κτίσις Selinuntis certis includitur terminis, quorum alter, expulsio colonorum Megarensium (πρὶν δὲ ἀναστῆναι) iam ex narratione antecedenti notus est, alter deductio coloniae annorum numero addito statuitur (ἔτεσιν ὕστερον ἑκατὸν ἢ αὐτοὺς οἰκίσαι). Ad hunc locum prope accedit alius VIII, 45, 1: ἐν δὲ τούτῳ καὶ ἔτι πρότερον, πρὶν ἐς τὴν Ῥόδον αὐτοὺς ἀναστῆναι, τάδε ἐπράσσετο. Thucydides continua rerum gestarum narratione interrupta res iam praeteritas repetiturus initio huius episodii, qua est religione ac diligentia, temporis spatium accuratius designat duobus adverbiis ἐν δὲ τούτῳ (id est: dum expeditio Rhodia fit) et καὶ ἔτι πρότερον (atque etiam antea). Adverbio πρότερον, quum ei haud satis perspicuum esse videretur, quasi interpretamentum πρὶν ἐς τὴν Ῥόδον ἀναστῆναι addidit. Eodem igitur modo tempus, quo res gestae

sunt, duobus terminis circumclusit. Simili ratione interpretandi sunt loci II, 13, 1 et II, 56, 1. Nam quum in prioribus locis infinitivi a *πρίν* particula pendentes cum adverbiis sive notionibus temporalibus (*ἔτεσιν ὕστερον ἑκατὸν ἤ* et *ἐν δὲ τούτῳ*) concurrerent, his de quibus nunc agendum est locis cum participiis, quibus ratio inest temporalis, quasi in certamen veniunt. Loci digni sunt, quos fusius describamus.

II, 13, 1: *ἔτι δὲ τῶν Πελοποννησίων ξυλλεγομένων τε ἐς τὸν ἰσθμὸν καὶ ἐν ὁδῷ ὄντων, πρὶν ἐσβαλεῖν ἐς τὴν Ἀττικήν, Περικλῆς ὁ Ξανθίππου — προηγόρευε κ. τ. λ.*

II, 56, 1: *ἔτι δ' αὐτῶν ἐν τῷ πεδίῳ ὄντων, πρὶν ἐς τὴν παραλίαν γῆν ἐλθεῖν, ἑκατὸν νεῶν ἐπίπλουν τῇ Πελοποννήσῳ παρεσκευάζετο.*

Id temporis momentum, quo actio primaria perfecta est, quam potest accuratissime describere vult Thucydides; itaque duobus id enuntiatis notionem temporalem habentibus quasi cancellis circumdat. Prorsus reicienda est Cobeti [1]) opinio, qui enuntiata a *πρίν* particula pendentia, ut quae inanem tautologiam continerent, duobus locis tamquam glossemata scholiastarum plane delere voluit. — Hac Thucydidis ratione perspecta locum undique tentatum atque impugnatum [2]) (III, 69, 2) ad meliorem perspicuitatem promoveri posse puto. Verba sunt haec: *ἐβούλοντο γὰρ οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐς τὴν Κέρκυραν πλεῦσαι στασιάζουσαν δώδεκα μὲν ναυσὶ μόναις παρόντων Ἀθηναίων περὶ Ναύπακτον, πρὶν δὲ πλέον τι ἐπιβοηθῆσαι ἐκ τῶν Ἀθηνῶν ναυτικόν, ὅπως προφθάσωσι.*

Duo membra inter se respondentia haud dubium, quin particulis *μέν — δέ* indicentur. Enuntiato vero a *πρίν* particula pendenti notionem temporis inesse vix quisquam infitiabitur. Itaque aliorum exemplorum similitudine adductus etiam in participio (*παρόντων*

---

1) Ann. ad Hyper. pag. 59.

2) De controversiis editorum recentiorum vide Popp. et Class. ad hunc locum.

Ἀθηναίων) non magis causalem, quam temporalem notionem valere existimo. Habemus igitur eundem duorum enuntiatorum concursum, quem Thucydidis proprium esse exemplis demonstravimus. Sententia regens ab enuntiato ὅπως προφθάσωσι petenda est, quod rursus pendet re grammatica salva a verbis enuntiati primarii ἐβούλοντο πλεῦσαι. At quaerat quispiam, quid? Enuntiatum finale nonne ad sententiam enuntiati cum πρίν particula consociati solam pertinet? Quodsi etiam cum genetivo participii coniungendum esse statuis, rationem nonne logicam conculcas? Age vero rem consideremus. Thucydides enim dum enuntiatum prius, participium absolutum, conscribit, haud scio an sententiam ita concludere in animo habuerit, ut diceret ὅπως παραγένωνται. Addito autem altero cum πρίν particula enuntiato sententia primaria turbata atque obscurata est, ita ut clausula periodi per zeugma fieret ὅπως προφθάσωσι. Verbum enim προφθάσωσι ad particulam πρίν solam, quippe quae haud procul absit, respicit. Vertendum igitur nostrum locum hoc modo puto: Lacedaemonii enim protinus Corcyram navigare voluerunt, ut haec expeditio fieret, et quum Athenienses cum duodecim dumtaxat navibus ad Naupactum essent, et antequam maiore navium multitudine Athenis auxilio venissent.

Simillimus est alius particulae πρίν usus, qui in duobus temporum spatiis comparandis cernitur. Afferam VI, 11, 1: ἀνόητον δ' ἐπὶ τοιούτους ἰέναι ὧν κρατήσας τε μὴ κατασχήσει τις καὶ μὴ κατορθώσας μὴ ἐν τῷ ὁμοίῳ καὶ πρὶν ἐπιχειρῆσαι ἔσται. Hoc est: his rebus male gestis res non in eodem statu erit, quo ante conatum (scl. erat). Ellipsis enim constituenda est. Facile perspicimus infinitivum πρὶν ἐπιχειρῆσαι non pendere a futuro ἔσται, sed a praeterito ἦν, quod ex illo futuro depromendum est. Sententia si tota pertractaretur, hoc modo exprimenda erat: μὴ ἐν τῷ ὁμοίῳ καὶ ἐν ᾧ ἦν πρὶν ἐπιχειρῆσαι ἔσται.

Simili ellipsi insignes sunt duo alii loci I, 39, 2: *οὗτοι δ' οὐ πρὶν πολιορκεῖν τὸ χωρίον, ἀλλ' ἐπειδὴ ἡγήσαντο ἡμᾶς οὐ περιόψεσθαι, τότε καὶ τὸ εὐπρεπὲς τῆς δίκης παρέσχοντο* et I, 68, 2: *καὶ δι' αὐτὸ οὐ πρὶν πάσχειν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τῷ ἔργῳ ἐσμέν, τοὺς ξυμμάχους τούσδε παρεκαλέσατε.* Haud dubium est, quin oppositio quaedam intercedat inter periodi membra. Sed neque ita fit, ut duo agendi termini statuantur, neque ita ut comparatio intercedat inter agendi tempora. Verum his locis gravitas illa oppositionis aliam causam habet. Sententiarum conexus in posteriore exemplo hic est: non antequam in mala incidimus, sed nunc demum, quum mediis in rebus adversis versamur, socios vocavistis. Tempus enim socios vocandi serum elegisse Lacedaemonios docere vult. Quod ut gravius exprimat, *ἀντίθετον* format. Simplicem sententiam *ἐπειδὴ ἐν τῷ ἔργῳ ἐσμέν* in contrariam mutatam atque cum negatione coniunctam in initio periodi dignitatis augendae causa collocat. Cardo igitur periodi vertitur in his verbis: non prius quam sed posteaquam. Hinc simul efficitur negationem ante *πρίν* particulam positam non esse veram, sed per artem quodammodo inductam, ita ut ad structuram enuntiati a *πρίν* particula pendentis ne minimum quidem valeat. Est sane genus dicendi rhetoricum. Et vere duo illa exempla occurrunt in orationibus. Antiphontis locum V, 25, qui ad eandem fere rationem conformatus est, in comparationem vocemus. Verba sunt haec: *πρῶτον μὲν γὰρ πρὶν ἀνάγεσθαί με εἰς τὴν Αἶνον οὐδεὶς ᾐτιάσατό με ἀνθρώπων· ἐπειδὴ δὲ ἐγώ τε ᾠχόμην πλέων — τότε ᾐτιάσαντο.* Illud tantum interest, quod *ἀντίθετον* apud Antiphontem sine ulla verborum ellipsi plane explicatum per voces *μέν — δέ* formari videmus (*πρῶτον μὲν πρίν — οὐδεὶς ᾐτιάσατο, ἐπειδὴ δέ — τότε ᾐτιάσαντο*), apud Thucydidem vero propter brevitatem dicendi magis contractum per particulam *ἀλλά* indicari animadvertimus (*οὐ πρὶν πολιορκεῖν — ἀλλ' ἐπειδή*). Hanc formulam dicendi Thucydidem ab Antiphonte delibasse eamque in suum usum convertisse

mihi persuasi. Bothium[1]) quum Antiphontis et Thucydidis dictionem inter se comparare studuerit, haec similitudo valde memorabilis fugit. Fortasse aliquid confert ad argumenta eorum corroboranda, qui Thucydidem ab Antiphonte doctrina rhetorica imbutum esse contendunt.

Iam transeamus ad alteram exemplorum seriem, quorum enuntiatum primarium ad tempus futurum spectat. Harum classium quasi in confinio verbum *φθάνειν* positum est; nam propriae praeveniendi significationi admixta atque adspersa est voluntas quaedam appetendi et captandi. Septies apud Thucydidem usurpatur sequente particula *πρίν*, ita ut quater cum verbis optandi notione praeditis consociatum (IV, 4, 3. IV, 104, 3. IV, 67, 4. VII, 36, 1), bis tantum solum occurrat (IV, 79, 1 et VI, 97, 2); semel mero futuro continetur VIII, 12, 1. Sed alia huius ordinis exempla enumeremus. Imprimis tenendum est merum tempus futurum rarissime inveniri; apud Thucydidem praeter unum, quem modo nominavi, locum alter exstat V, 9, 4 *πρὶν ξυνταθῆναι προσπεσοῦμαι*; adiungendus est IV, 85, 2, ubi infinitivus futuri a verbo sentiendi pendens invenitur *οἰόμενοι πρὶν ἀφικέσθαι ἥξειν*. Duobus locis imperativi antecedunt I, 78, 1: *πρὶν — γενέσθαι προδιάγνωτε* et I, 141, 1 *διανοήθητε πρίν τι βλαβῆναι*. Eo frequentius alias enuntiati primarii formas adhibitas videmus, quibus notio futuri efficitur. Saepissime occurrunt verba ad optandi notionem pertinentia, velut *βούλεσθαι* (I, 20, 3; II, 86, 4; II, 93, 1; III, 69, 2; IV, 67, 5; IV, 104, 3; VII, 36, 1), *ἐπείγεσθαι* (IV, 4, 2), *μέλλειν* (VI, 76, 1), *διανοεῖσθαι* (IV, 72, 1), *ἀρκεῖν* (III, 30, 1), *ἑτοῖμον εἶναι* (VI, 29, 1), *οὐ χαλεπὸν εἶναι* (III, 94, 4). His adde verba iubendi: *κελεύειν* (V, 41, 2), *προειπεῖν* (IV, 128, 1), *ἀναγκάζειν* (IV, 125, 2), *χρῆναι* (III, 46, 4), *βουλεύεσθαι* (V, 8, 3). — Haec exempla

[1]) Phil. Both, de Antiphontis et Thucydidis genere dicendi, dissert. Marburgensis (1875) pag. 41.

fere omnia ad idem schema conformata sunt, quod latine hoc modo exprimendum esse arbitror: hoc eventurum volo, antequam illud factum sit. Non terminus, ante quem actio enuntiati primarii fiat, statuitur; gravissimum est consilium sive spes subiecti fore ut actio primaria perficiatur, antequam secundaria incohata sit. Cf. II, 86, 6: *βουλόμενοι ἐν τάχει τὴν ναυμαχίαν ποιῆσαι πρίν τι καὶ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπιβοηθῆσαι* = quum citissime proelium navale committere vellent, priusquam etiam ab Atheniensibus subsidium advenisset. Infinitivus sub dicione cogitationis dominantis est. Contra si Thucydides scripsisset: *τὴν ναυμαχίαν ἐποίησαν πρίν τι καὶ ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπιβοηθῆσαι*, infinitivus dominatu sententiae primariae liberatus temporis determinationi soli inserviret. Antequam hanc dissertationis partem concludam, duo exempla commemoranda sunt, in quibus infinitivus a *πρίν* particula pendens periodo condicionali subiunctus est IV, 69, 1: *νομίζοντες, εἰ πρὶν ἐπιβοηθῆσαι τινὰς ἐξέλοιεν, θᾶσσον ἂν καὶ τὰ Μέγαρα προσχωρῆσαι*, et VI, 49, 2: *ἢν δὲ χρονίσῃ πρὶν ἐς ὄψιν ἐλθεῖν, τῇ γνώμῃ ἀναθαρσοῦντας ἀνθρώπους καὶ τῇ ὄψει καταφρονεῖν μᾶλλον.* Utroque loco infinitivus ad protasin pertinet. Circuitus orationis utrum sit simplex an compositus, ad infinitivum nihil valet.

Hucusque de iis tantum locis quaestio nobis erat, quorum enuntiatum primarium vera negatione carebat. Accedamus iam ad eas *πρίν* particulae cum infinitivo structuras, quarum sententiae primariae vera inest negandi vis. Si Proksch[1]) in sententiis negativis apud Thucydidem infinitivum a *πρίν* particula pendentem exstare prorsus negat, vereor ut singula accuratius inspexerit. Decem sane occurrunt loci, qui negationem habent. Sed accurate distinguendum est, utrum negatio sit vera atque aperta, an occulta atque tecta. Si legitur I, 125 *ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη, ἔλασσον δὲ πρὶν ἐσβαλεῖν*, sensus omnino est affirmativus; una vox quodammodo

1) N. Jbb. f. Phil. u. Paed. (1877) pag. 454.

restringitur (anno minus praeteriit). Neque magis locus VI, 97, 3 sensu negativo praeditus est; *στάδιοι οὐκ ἔλασσον ἢ πέντε καὶ εἴκοσι* idem valet ac *στάδιοι πέντε καὶ εἴκοσιν αὐτοί.* Nihil dicendum est de loco III, 94, 4 *οὐ χαλεπὸν ἀπέφαινον, πρὶν ξυμβοηθῆσαι, καταστραφῆναι,* quoniam *οὐ χαλεπόν* eandem quam *ῥᾴδιον* vim habet. De ellipsi, qua VI, 11, 1 affirmatio procreatur, iam supra diximus pag. 14, ubi etiam rationem locorum I, 39, 2 et I, 68, 2 exposuimus. Restat locus dubius VI, 76, 1 *οὐ τὴν παροῦσαν δύναμιν τῶν Ἀθηναίων μὴ αὐτὴν καταπλαγῆτε, δείσαντες ἐπρεσβευσάμεθα, ἀλλὰ μᾶλλον τοὺς μέλλοντας ἀπ᾽ αὐτῶν λόγους, πρίν τι καὶ ἡμῶν ἀκοῦσαι, μὴ ὑμᾶς πείσωσιν.* Sunt qui ita explicent, ut infinitivus *πρίν τι ἀκοῦσαι* referendus sit ad enuntiatum negativum *μή τι πείσωσι.* Sed iam Krueger quum verteret ‚die von ihnen noch bevor ihr auch uns angehoert vorzutragenden Worte', recte intellexit illud *πρίν τι ἀκοῦσαι* arctius cum *τοὺς μέλλοντας ἀπ᾽ αὐτῶν λόγους* coniungendum esse. Hermocrates enim, Syracusanorum legatus, orationem ingressurus apud contionem Camarinaeorum duas causas legationis profert, alteram quamvis manifestam, tamen minorem, quod Atheniensium classis praesto sit, alteram quamvis coniectaneam, tamen gravius metuendam, quod Atheniensium legati ipsos contionando praevertere possint. His causis duo pericula efficiuntur, quae duobus enuntiatis (*μὴ αὐτὴν καταπλαγῆτε* et *μὴ ὑμᾶς πείσωσιν*) a participio *δείσαντες* pendentibus exprimuntur. Namque non modo metuendum erat, ne classe Atheniensium haud procul absente animi Camarinaeorum timore perturbarentur, sed potius cavendum erat, ne Atheniensium legati orationem prius Syracusanis habituri eloquentia blanda animorum conciliatrice Camarinaeos sibi socios adiungerent. Itaque ut hoc utrumque vitaretur, quam citissime a Syracusanis legati missi sunt. Tali modo locum interpretati non solum continuum sententiarum progressum dispicimus, sed etiam eleganti quadam verborum concinnitate delectamur. Sunt autem *οἱ μέλλοντες ἀπ᾽ αὐτῶν λόγοι* orationes ab Atheniensium

legatis habendae. Hermocrates quum eloquentia Athenienses multum praestare haud ignoraret, nihil antiquius habuit quam ut prior orationis potestatem nancisceretur. Et profecto quidem id quod cupiebat assecutus est, et ut prior verba faceret ei contigit. Attamen hanc anteriorem ratiocinationem aptissime ex mente Syracusanorum ab oratore prolatam in initio poni consentaneum est, quo causa legatos propere mittendi luculentius illustretur. In participio *μέλλοντας* vis hypothetica occulta latet. Periculum ipsum tunc fuisse sublatum iam participio aoristi *δείσαντες* satis mihi demonstrari videtur. Itaque coniecturam Kruegeri *ἐλθόντας* ut supervacaneam repellendam esse censeo.

Quattuor restant loci, quorum duo negationem apertam, duo abditam exhibent V, 10, 3; VII, 50, 4 et II, 53, 3; VII, 28, 3. Iam supra in locis I, 39, 2 et 68, 2 tractandis vidimus infinitivos antecedente negatione merae temporis determinationi inservire. Eadem ratio optime in haec exempla quadrat. Consideremus locum VII, 28, 3: *ἐς φιλονικίαν καθέστασαν τοιαύτην ἣν πρὶν γενέσθαι ἠπίστησεν ἄν τις ἀκούσας.* Negatio in verbo *ἀπιστεῖν* occulta est. Memorabilis hoc loco est infinitivus pendens ab indicativo aoristi cum *ἄν* particula coniuncto. Nihilo secius infinitivus rem vere factam exprimit. Namque antecedunt verba *ἐς φιλονικίαν καθέστασαν*, quae actionem infinitivi perfectam iam esse satis demonstrant. Sensus est: tanto vincendi ardore abripiebantur, quantum fieri posse, priusquam re vera factus est (*πρὶν γενέσθαι*), vix quisquam credidisset. Simillimus est locus II, 53, 3: *ἄδηλον νομίζων εἰ πρὶν ἐπ' αὐτὸ ἐλθεῖν διαφθαρήσεται.* Incertum illud, quod in enuntiato ab *εἰ* incipienti inest, ad infinitivum non pertinet. Itaque coniunctivum *ἔλθῃ*, quem nonnulli habent codices, repellemus. Si ea quae supra de duobus infinitivorum generibus exposuimus in memoriam revocamus, facile apparebit huiusmodi infinitivos omni sententiae primariae dominatu liberatos per se constare. Duobus quae restant exemplis hanc

opinionem firmemus V, 10, 3: *οὐ βουλόμενος μάχῃ διαγωνίσασθαι πρίν οἱ καὶ τοὺς βοηθοὺς ἥκειν* et VII, 50, 4: *οὐδ᾽ ἂν διαβουλεύσασθαι ἔτι ἔφη, πρίν, ὡς οἱ μάντεις ἐξηγοῦντο, τρὶς ἐννέα ἡμέρας μεῖναι.* Inter utrumque locum is est consensus, ut sententia cum *πρίν* particula coniuncta meram temporis notionem habeat. Is terminus accurate definitur, ante quem actio primaria non perficiatur. In altero vero exemplo spatium temporis certo dierum numero indicatur. Optativum vel coniunctivum si quis legendum esse putaret, sententiam laederet. Sensus enim perversus evaderet, Niciam sua sponte moram viginti septem dierum sibi imposuisse. Minime quidem dicere vult Thucydides: Nicias deliberare noluit, antequam viginti septem dies moratus esset: hoc contra in animo habuit effari Niciam ante moram viginti septem dierum, quae a sacerdotibus praecepta erat, peractam deliberare nolle.

Antequam infinitivi a *πρίν* particula pendentis usum Thucydideum concludam, non abs re fore arbitror pauca de formula *πρότερον — ἤ* cum infinitivo coniuncta dicere, quae tribus locis exstat I, 69, 5; VI, 58, 1; VIII, 45, 5. Dignissimum est commemoratu Thucydidem ne uno quidem loco *πρότερον — πρίν* usurpare [1]), sed quotiens *πρότερον* antecedat, semper *ἤ* ponere. Qua in re mirum in modum cum Antiphonte congruit.[2]) Enuntiatum primarium continetur tempore praeterito, bis aoristo, semel imperfecto (VIII, 45, 5). Sensum si respicimus, mea quidem sententia nihil interest inter *πρίν* et *πρότερον — ἤ*. Sed formula *πρότερον — ἤ* multo post potestatem infinitivi regendi nacta est, quum vis infinitivi primaria, e qua originem infinitivi *πρίν* particulam sequentis derivavimus, iam non sentiretur. Itaque illa ratiocinatio, qua usum infinitivi a *πρίν* particula pendentis exponere studuimus, ad formulam *πρότερον — ἤ* non quadrat. Alia via infinitivo regendo potita est.

---

1) De loci VIII, 45, 1 natura cf. pag. 12.

2) Lueth, l. l. pag. 8.

Mera huic structurae subest ratio comparativa, qua infinitivus procreatur. In comparationem vocemus locum VI, 4, 2 (*ἔτεσιν ὕστερον ἑκατὸν ἢ αὐτοὺς οἰκίσαι*), ubi *ὕστερον ἤ* cum infinitivo copulatum est. Itaque adverbium *πρότερον* numquam fieri potuit ut sequenti *ἤ* particula careret. Quam ob rem locum VIII, 45, 5 Vaticani codicis auctoritatem secuti, qui solus *ἤ*, quod ceteri non habent, servavit, sic scribemus: *αἳ ἐς Ἀθηναίους πρότερον ἢ ἀποστῆναι ἀνῄλουν.* — Rationes trium illorum locorum, qui *πρότερον — ἤ* cum infinitivo iunctum praebent, si inter se comparaverimus, consensio sententiarum facile apparebit. Infinitivi enim res vere factas exprimunt. Exempli gratia consideremus locum I, 69, 5: *τόν τε γὰρ Μῆδον αὐτοὶ ἴσμεν ἐκ περάτων γῆς πρότερον ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον ἐλθόντα ἢ τὰ παρ' ὑμῶν ἀξίως προαπαντῆσαι*; hoc est: Persarum regem scimus ex ultimis terrae finibus prius ad Peloponnesum pervenisse, quam a nobis bellum satis paratum est. — Singulare exemplum exstat II, 40, 2, ubi *πρότερον — ἤ* ad sententiam negativam se adiungit: *οὐ τοὺς λόγους τοῖς ἔργοις βλάβην ἡγούμενοι ἀλλὰ μὴ προδιδαχθῆναι μᾶλλον λόγῳ πρότερον ἢ ἐπὶ ἃ δεῖ ἔργῳ ἐλθεῖν.* Sensus est hic: non verba factis damno esse arbitrati, sed multo perniciosius (scl. arbitrati) non verbis edoceri, priusquam quis ad rem gerendam sese paravisset. — Etiam VI, 34, 4 loco undique tentato formulam *πρότερον — ἤ* cum infinitivo consociatam latere suspicio facile existet. In codicibus leguntur verba haec: *οὐ περὶ τῇ Σικελίᾳ πρότερον ὁ ἀγὼν ἔσται ἢ τοῦ ἐκείνους περαιωθῆναι τὸν Ἰόνιον.* Dobraci coniectura *περὶ τῆς Σικελίας*, quam Stahlius in textum recepit, locum non sanatum esse puto, propterea quod sententiarum conexus mutatur. Namque ante *τοῦ* suppleri vult *περί*, ita ut *οὐ πρότερον — ἤ* fere idem valeat ac *οὐ μᾶλλον — ἤ*. Neque ipsi mihi medelam huic loco afferre contigit. Quam nunc in medium prolaturus sum explicationem, eam benignitati Rich. Foersteri acceptam refero, qui suam de hoc loco opinionem mecum communicavit. Nihil enim censet esse mutandum; *περί*

cum dativo eandem habere vim atque in verbis timendi ita ut nostrum *für* sive *um* aequiparet, et genetivum *τοῦ — περαιωθῆναι* esse obiectivum, suspensum ab *ἀγών* voce, ita ut sententia sit: de Sicilia prius non decertabitur, quam certamen de transitu maris Ionii factum erit. Hac explicatione probata de infinitivo a formula *πρότερον — ἤ* pendenti sermo esse non potest.

Variis infinitivi cum *πρίν* particula structuris perlustratis non ineptum mihi videtur pertractare, quando infinitivus simplex, quando cum accusativo copulatus a Thucydide usurpetur.[1]) Res per se ipsa est facillima, quoniam haec quoque infinitivi structura legibus linguae graecae plane obstricta tenetur. Etenim quotiens in enuntiato secundario persona sive res quaedam subiecti loco cogitanda est, quae eadem in sententia primaria quolibet casu expressa adest, infinitivus simplex ponitur. Plerumque notio primaria communis est inter utrumque enuntiatum, velut I, 78, 1 (*τοῦ πολέμου τὸν παράλογον πρὶν ἐν αὐτῷ γενέσθαι προδιάγνωτε*). Sed etiam casus enuntiati primarii obliquus subiecti vice ad infinitivum supplendus est. Haud raro apud Thucydidem subiectum infinitivi in participiis antecedentibus latet: in dativo participii I, 125: *ὅμως δὲ καθισταμένοις ὧν ἔδει ἐνιαυτὸς μὲν οὐ διετρίβη, ἔλασσον δὲ πρὶν ἐσβαλεῖν ἐς τὴν Ἀττικήν*; ex genetivo depromendum est II, 13, 1 et II, 56, 1. Vel audacissima est structura locorum I, 68, 2 et VI, 76, 1. Neque enim subiectum infinitivi ex sententia primaria sumendum est, sed ex enuntiatis subordinatis iisque infinitivum sequentibus. Si legimus *καὶ δι' αὐτὸ οὐ πρὶν πάσχειν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τῷ ἔργῳ ἐσμέν, τοὺς ξυμμάχους παρεκαλέσατε*, infinitivus *πάσχειν* eodem quo enuntiatum ab *ἐπειδή* incipiens nititur subiecto. Haec notionis primae communio indicium est arcti vinculi, quo duo haec enuntiata conexa sunt (cf. pag. 15). Liberius etiam

---

[1]) Cf. Theod. Forssmannium in diss. ‚de infinitivi temporum usu Thucydideo', Lipsiae 1873, pag. 53 et 79.

altero loco VI, 76, 1 obiectum enuntiati μὴ ὑμᾶς πείσωσι ad antecedentem infinitivum subiecti vice revocandum est.

Hoc loco facere non possum, quin de dictione Thucydidis propria verbum addam. Duobus locis II, 53, 4 et VII, 28, 2 enuntiatum a πρίν particula pendens attractione quadam relativa verbis antecedentibus agglutinatum est. Legimus II, 53, 4: ἣν πρὶν ἐμπεσεῖν εἰκὸς εἶναι τοῦ βίου τι ἀπολαῦσαι. Pronomen relativum referendum est ad nomen antecedens τιμωρία. Simplicius dicendum erat καὶ πρὶν ταύτην ἐμπεσεῖν.

Haec satis sunto de usu infinitivi a πρίν particula pendentis Thucydideo.

§ 4. De usu infinitivi a πρίν particula pendentis Xenophonteo.

Usus infinitivi cum πρίν particula coniuncti Xenophonteus, quamquam numero exemplorum praestat Thucydideo, tanta varietate non excellit. Eandem quam in Thucydidis exemplis rationem disponendi sequamur. Itaque incipiamus ab enumeratione eorum locorum, quorum sententia primaria continetur tempore praeterito. — Duobus locis exstat plusquamperfectum in enuntiato primario Ἑλλ. VI, 4, 13 et Κυρ. παιδ. I, 6, 39, id quod apud Thucydidem nusquam occurrit. Priore loco plusquamperfectum sententiam primariam graviorem efficit, id quod particula δή addita etiam luculentius demonstratur: πρὶν καὶ αἰσθέσθαι τὸ μετ᾽ αὐτοῦ στράτευμα ὅτι ἡγοῖτο, καὶ δὴ καὶ οἱ ἱππεῖς συνεβεβλήκεσαν καὶ ταχὺ ἥττηντο οἱ τῶν Λακεδαιμονίων. Sensus est: antequam exercitus sensisset Cleombrotum procedere, iamiam equites manus conseruerant. In altero exemplo Κυρ. παιδ. I, 6, 39 (καὶ πρὶν κινεῖσθαι τὰς ὄρνιθας ἐπεποίηντό σοι αἱ πάγαι αὐταῖς) sensus est iterativus: antequam aves moveri inciperent, iam laquei parati esse solebant. Similis est locus Ἀναβ. I, 10, 19, ubi aoristus ἐφάνη sensu plusquamperfecti usurpatus est (πρὶν γὰρ δὴ καταλῦσαι τὸ στράτευμα πρὸς

ἄριστον. βασιλεὺς ἐφάνη). Vide ne illud *γὰρ δή* ad infinitivum referas. Commune est totius periodi ac magis ad actionem primariam pertinet. Nihil memorabile habet locus *Ἱππ.* 4, 7, ubi infinitivus perfecti *μεμεληκέναι* anteit, quippe cui praesentis notio insit. — Merus aoristi indicativus invenitur in enuntiato primario locis undecim (*Ἀν.* I, 4, 13; I, 4, 16; VI, 5, 1; VI. 5, 5; VII, 7, 46; *Ἑλλ.* I, 4, 10; I, 7, 35; IV, 2, 21; *Κυρ. π.* III, 3, 60; V, 3, 30; VIII, 3, 22.) Bis legitur aoristi infinitivus pendens a verbo dicendi *Ἀν.* IV, 3, 12 et *Ἀπομν.* I, 2, 40. Paene ad sensum aoristicum accedit imperfectum in verbis proficiscendi *Ἀν.* VII, 7, 5 (*πορεύεσθαι*); *Ἑλλ.* II, 4, 25 (*ἐξιέναι*); *Κυρ. παιδ.* II, 2, 4 (*οἴχεσθαι*). Adde imperfecta verbi *εἶναι* *Ἀν.* VI, 5, 5 (*ἦσαν*); *Ἑλλ.* V, 1, 33 (*παρῆσαν*); *Κυρ. παιδ.* VIII, 4, 11 (*παρῆν*). Eodem modo se habent praesentia historica *Ἀν.* IV, 1, 7, IV, 5, 19; IV, 6, 24; *Κυρ. παιδ.* VIII, 8, 25. Merum antecedit imperfectum *Ἑλλ.* V, 2, 33; participia praesentis notione imperfecti praedita *Ἀν.* VII, 7, 9; *Οἰκ.* 10, 8; infinitivus imperfecti a notione dicendi pendens *Ἀν.* VII, 5, 13. Unum etiam imperfectum de conatu exstat *Ἀν.* V, 6, 16 (*ἐθύετο* = in animo habebat sacra facere). Saepius ad actionem iteratam referendus est infinitivus a particula *πρίν* pendens. Plerumque occurrit temporis praesentis vel indicativus (*Ἀν.* I, 8, 19; *Κυρ. παιδ.* II, 2, 10; V, 2, 9; *Ἀπομν.* II, 1, 30. *Κυνηγ.* 5, 27. *Ἱερ.* 4, 2) vel participium (*Κυρ. παιδ.* V, 1, 12; *Ἀπομν.* I, 2, 22 et II, 1, 30) vel infinitivus (*Κυνηγ.* 8, 6). Quae in exemplis Thucydideis tractandis observavimus, eadem in Xenophontea quadrant. Hic qui in media rerum gestarum narratione antecedente tempore praeterito obvius fit infinitivus tempori actionis primariae determinando inservit. Neque igitur caremus iis infinitivis, quibus mera subest notio temporalis. Nomino *Ἀν.* VI, 5, 1 (*πρὶν δὲ ἀρίστου ὥραν εἶναι* = ante prandium); *Κυρ. παιδ.* V, 3, 40 et *Ἑλλ.* VI, 4, 25 (*πρὶν καθεύδειν* = antequam cubitum irent, id est vesperi), *Ἀπομν.* I, 2, 40 (*πρὶν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι* = ante annum

aetatis vigesimum peractum). Ad quantam Xenophon progressus sit dicendi audaciam, elucet ex locis *Οἰκ.* 17, 2 (*οἱ πρὶν κελευσθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ σπείραντες*) et *Ἀγησ.* 1, 5 (*τῆς πρὶν ἄρξαι αὐτὸν ἀρετῆς*), qui infinitivos articulo et nomine circumclusos fere adverbiorum instar praebent. Quid, quod *Κυρ. παιδ.* III, 3, 60 (*ἀφίεσαν τὰ βέλη πολὺ πρὶν ἐξικνεῖσθαι*) adverbium *πολύ* ante particulam *πρίν* cum infinitivo consociatam reperitur? Nonne hoc luculentissimum est testimonium etiam aetate Xenophontea memoriam non solum adverbii, sed etiam comparativi remansisse? (Cf. quattuor locos Homericos, qui *πολὺ πρίν* ut merum adverbium exhibent: *I* 250; *Λ* 236; *N* 161; *β* 167.[1])

Uberrime effloruit apud Xenophontem ea infinitivi ratio, quae in duobus temporum spatiis inter se comparandis cernitur (cf. pag. 14). Eadem qua Thucydides utitur ellipsi, ita ut ex verbo regenti delibandum sit tempus praeteritum, ad quod infinitivus a particula *πρίν* pendens pertinet. Sive mero comparativo sive simili notione antecedente haec dicendi formula occurrit. Comparativus merus anteit *Ἀν.* VII, 7, 35: *ἦ μὴν πολύ γέ ἐστιν ἔλαττον νῦν σοι καὶ λαβεῖν τοῦτο καὶ ἀποδοῦναι ἢ πρὶν ἡμᾶς ἐλθεῖν πρὸς σὲ δέκατον τούτου μέρος.* Supplendum sane est post *ἤ* haec fere sententia: *σοὶ καὶ λαβεῖν καὶ ἀποδοῦναι ἦν.* Simillimi sunt loci: *Κυρ. παιδ.* V, 2, 36 (*πολὺ μὲν ἐλάττονές εἰσι νῦν ἢ πρὶν ἡττηθῆναι ὑφ' ἡμῶν*); ibid. VII, 5, 77 (*νῦν πολὺ μᾶλλον ἀσκεῖν τὴν ἀρετὴν ἢ πρὶν τάδε τἀγαθὰ κτήσασθαι*); *Συμπ.* 4, 3 (*ἔνιοι καὶ ἐχθιόνως ἔχουσιν ἢ πρὶν λαβεῖν*). Comparativi loco notio comparandi exstat *Ἀπομν.* III, 11, 14 (*τηνικαῦτα γὰρ πολὺ διαφέρει τὰ αὐτὰ δῶρα ἢ πρὶν ἐπιθυμῆσαι διδόναι*). Ad structuram nihil valet condicio sententiae primariae negativa, ut docent loci *Ἑλλ.* VII, 5, 27 (*οὐδέτεροι οὐδὲν πλέον ἔχοντες ἐφάνησαν ἢ πρὶν τὴν μάχην γενέσθαι*) et *Ἀπολ. Σωκρ.* § 24 (*ἐμοὶ δὲ τί προσήκει νῦν μεῖον φρονεῖν ἢ πρὶν κατακριθῆναι*), ubi sensus negativus ex forma interrogativa oritur. Xenophon ut copiosior in dicendo, quo temporum oppositio

[1]) Delego ad Richterum, l. l. pag. 5.

clarius appareat, priori plerumque membro vocem *νῦν* adiungit (*Ἀν.* VII, 7, 35; *Κυρ. παιδ.* V, 2, 36; *Ἑλλ.* VII, 5, 77; *Ἀπολ. Σωκρ.* § 24). Huic exemplorum generi asseramus *Περ. ἱππ.* 3, 11, quod etsi non mero comparativo instructum est, ellipsi tamen simili conspicuum est: *εἰ πεπονηκότος ἤδη τοῦ ἵππου πάλιν πειρῷτο ποιεῖν ταῦτα ὅσαπερ πρὶν ἄρξασθαι ἱππεύειν* (scl. *ἐποίει*). Multum autem differt ratio unius Cyropaediae loci V, 3, 30, quo ante infinitivum verbum regens ex antecedenti enuntiato repetendum est (*Γαδάτας διέπραξεν ἃ δοκεῖ πᾶσιν ἡμῖν πολλοῦ ἄξια εἶναι, καὶ ταῦτα πρὶν καὶ ὁτιοῦν ὑφ' ἡμῶν ἀγαθὸν παθεῖν*).

Aliis quoque locis mera comparatione sublata quasi *ἀντιθετικῶς* haec infinitivi structura a Xenophonte usurpatur *Ἀν.* VII, 7, 5: *πρὶν ὑμῖν φίλοι γενέσθαι ἐπορευόμεθα· ἐπεὶ δὲ ἡμῖν φίλοι ἐγένεσθε — νῦν δή κτλ.* Cf. *Ἀν.* VII, 7, 9 et 46, ubi responsio voculis *μέν — δέ* indicatur. Addendus est similis locus *Ἀπομν.* I, 2, 22, ubi pro enuntiato a coniunctione *ἐπεί* pendenti participium invenitur (*δυνάμενοι φείδεσθαι πρὶν ἐρᾶν, ἐρασθέντες δὲ οὐκέτι δύνανται*). Non obliviscendum est omnia huiusmodi oppositionis exempla excepto uno (*Ἑλλ.* VII, 5, 77) inveniri in orationibus, quoniam dictionis huiusce gravitas oratori imprimis apta est.

Iam nominandi sunt undecim loci, qui in enuntiato primario verbum *φθάνειν* exhibent. Novies coniunctum est cum participio plerumque aoristi (*Ἑλλ.* V, 4, 49; VI, 5, 9; *Κυρ. παιδ.* III, 1, 19; III, 2, 4; IV, 1, 3; VII, 5, 39; *Ἱππαρχ.* 7, 10), semel praesentis (*Ἑλλ.* VI, 4, 21), semel perfecti (*Κυρ. παιδ.* II, 4, 25). Reliquis duobus locis, ne oratio durior fiat, participium deest, quia *φθάσαι* infinitivus ipse a participio alio pendet (*Ἀν.* II, 5, 5 et IV, 1, 4).

Illis quae ultimo loco attulimus exemplis iam transitus fit ad eorum locorum ordinem, quem pag. 24 tetigi. Quum infinitivus, de quo modo quaesitum est, nulla sententiae primariae ratione habita subiecti arbitrio liber est, is, quem nunc tractaturi sumus, in dicionem

quasi sententiae primariae redactus particeps fit rationis toti periodo insitae. Mera temporis determinatio quodammodo reprimitur subiecti studio ac consilio rem aliquam prius perficiendi, quam alia ad effectum venerit. Itaque schema huius structurae hoc fere modo statuendum est: hoc perfectum esse volo (sive volebam), antequam illud fieret (sive factum esset). In enuntiato igitur primario tempus futurum sive similem notionem antecedere consentaneum est. Ac si enuntiati primarii formas perlustramus, quamquam merum futurum nusquam, imperativus bis (*Ἑλλ.* IV, 8, 38 et *Κυρ. παιδ.* VII, 1, 22) invenitur, creberrimae tamen sunt notiones periphrasticae, velut verba optandi: *βούλεσθαι* (*Ἀν.* II, 5, 5; *Ἑλλ.* III, 3, 10 et VI, 5, 21) *εὔχεσθαι* (*Ἀν.* VII, 1, 30), *πειρᾶσθαι* (*Ἀν.* IV, 1, 4), *σπεύδειν* (*Ἑλλ.* III, 1, 17); vel verba iubendi: *κελεύειν* (*Ἑλλ.* IV, 5, 15), *δεῖν* (*Κυρ. παιδ.* II, 4, 25 et *Ἱππαρχ.* 4, 7) *χρῆναι* (*Ἀν.* I, 4, 14), vel adiectivum verbale, ut *πορευτέον* (*Ἀν.* IV, 5, 1), vel verbum *δύνασθαι* (*Ἱππ.* 4, 18).

Longum erit omnia infinitivi exempla quorum numerus est 107, singillatim enumerare atque persequi, neque id operae pretium mihi esse videtur, quoniam omnem fere disputandi materiem in locis Thucydidis explicandis occupavimus. Itaque eas infinitivi structuras accuratius investigasse satis habebimus, quae aut singulares aut Xenophontis propriae sunt.

Plerumque infinitivus cum *πρίν* particula coniunctus pendet ab enuntiato alii non subordinato. Nullius autem momenti est subordinatio talis, qualis particulis *ὅτι* (*Κυρ. παιδ.* II, 4, 25; III, 2, 12; VII, 1, 22), *ὡς* (*Ἑλλ.* V, 2, 33), *ὥσπερ* (*Ἀπομν.* IV, 2, 25; *Οἰκον.* 15, 10), *ὥστε* cum indicativo = itaque (*Κυρ. παιδ.* II, 2, 10; III, 1, 19), *ἐπεί* = namque (*Ἱππαρχ.* 4, 18) efficitur, quoniam hae particulae coniunctionis pendentis natura exuta ad modos enuntiati ipsis subiuncti nullam vim habent. Rarius enuntiatum re vera subordinatum antecedit. Bis pendet sententia secundaria ab infinitivo cum particula *ὥστε* copulato (*Κυρ. παιδ.* IV, 2, 39 et 3, 16),

bis enuntiatum a coniunctione ὅπως pendens praecedit, quam Κυρ. παιδ. V, 3, 40 coniunctivus, VI, 3, 7 optativus sequitur. Creberrime πρίν cum infinitivo coniunctum in periodo condicionali invenitur. Septem illis, qui apud Xenophontem exstant, locis ad protasin se applicat, in qua bis particula εἰ cum indicativo futuri copulata (Ἑλλ. VII, 3, 6 et Κυρ. παιδ. IV, 3, 14), quinquies ἐάν sive ἤν cum coniunctivo consociata reperitur (Ἀν. V, 6, 33; VII, 3, 35; Κυρ. παιδ. III, 2, 4; IV, 5, 31; Ἀπομν. III, 11, 13). Infinitivus aoristi adhiberi solet. Duobus locis legitur praesentis infinitivus (Κυρ. παιδ. IV, 3, 14: ἀκριβοῦν = σαφῶς εἰδέναι, vi quadam aoristica instructum et Ἀπομν. III, 11, 13 ἐπιθυμεῖν, ubi ne exordium quidem appetitus statuendum esse indicare vult auctor, quo gravius oppositio κεκορεσμένοις δέ illustretur. His agglutinanda sunt exempla duo, quae εἰ cum optativo exhibent (Ἀν. II, 5, 2 et IV, 1, 21), ubi illa particula vi hypothetica priva notionem experiendi habet.

Maximo opere meditatio nostra excitatur iis locis, quorum enuntiatum primarium negationem continet. Imprimis seiungenda sunt exempla ea, quorum sententia primaria quamvis negatione instructa videatur, re vera tamen notionis negativae expers est. Ecquid duo illa enuntiata Ἑλλ. VII, 5, 27 et Ἀπολ. Σωκρ. § 24, de quibus modo (pag. 25) diximus, vim negandi habent? Immo, ellipsi suppleta sensus affirmativus oritur. Quid, quod quater apud Xenophontem enuntiatum primarium interrogationis formam induit? (Κυρ. παιδ. IV, 2, 5; V, 4, 35 et 38; Ἑλλ. VI, 3, 15). Sed sensus semper est affirmativus. Multo vero maioris momenti sunt exempla quinque vera negatione instructa, quorum duo (Κυρ. παιδ. III, 2, 12 et Ἑλλ. VI, 5, 23) tempori determinando inserviunt. Quin etiam in Cyropaediae loco quum infinitivo in initio periodi collocato, tum oppositione ἐπεὶ δέ clarissime demonstratur notionem temporalem imprimis dominari. — Sequuntur tres loci (Κυρ. παιδ. IV, 3, 10; VIII, 1, 38; Οἰκον. 1, 24), qui Xenophontis quiddam

proprium habeant. Actiones primariae sunt iterativae; itaque bis imperfecti indicativus invenitur; ultimo loco, *Οἰκον.* 4, 24, structura ita est formata, ut tota sententia subiecta sit verbo *ὄμνυμι* (*ὄμνυμί σοι τὸν Μίθρην μηπώποτε δειπνῆσαι πρὶν ἱδρῶσαι*); attamen ratio manet iterativa; oratione enim recta restituta sic vertemus: numquam vero coenari soleo ante labores peractos. Simillimus est locus *Κυρ. παιδ.* VIII, 1, 38: *καὶ οὔτ' αὐτός ποτε πρὶν ἱδρῶσαι δεῖπνον ᾑρεῖτο οὔτε ἵπποις ἀγυμνάστοις σῖτον ἐνέβαλλε.* Primo oculorum obtutu elucet in membrorum ut ita dicam parallelismo sibi respondere *ἀγυμνάστοις* et *πρὶν ἱδρῶσαι.* Qua ex re sequitur infinitivum post *πρίν* positum meram verbi notionem exprimere, qualis in Graecorum adiectivo verbali et in Latinorum gerundivo inest. Eodem modo *Κυρ. παιδ.* IV, 3, 10 illud *πρὶν μαθεῖν* prope accedit ad notionem *ἀδίδακτος.* His igitur locis de verbo finito post *πρίν* particulam ponendo omnino sermo esse non potest, atque utrum negatio antecedat necne, ne minimum quidem valet. Hac Xenophontis dictione perspecta de uno Anabaseos loco IV, 5, 30 (*οὐδαμόθεν ἀφίεσαν πρὶν παραθεῖναι αὐτοῖς ἄριστον*) certius iudicare possumus. Lectionem enim deteriorum codicum a Kruegero et Cobeto defensam *παραθεῖεν* prorsus reiciendam esse manifestum erit. Optativus enim a *πρίν* coniunctione pendens nisi in oratione obliqua non ponitur. Probabilius esset hoc loco indicativum conicere, id quod nemo propter lectionem codicum audebit. Unice verus est infinitivus *παραθεῖναι,* quia totius periodi ratio est iterativa.

Nunc quaestio nos excipit difficillima, quamnam rationem secutus Xenophon sententiam a *πρίν* particula pendentem modo praesentis, modo aoristi, modo perfecti infinitivo expresserit. — In octoginta exemplis Homericis nullus exstat locus, qui post particulam *πρίν* aut praesentis aut perfecti infinitivum contineat. Itaque iure conicietur huius infinitivi usum esse originarium et e natura particulae ipsius consentaneum. Et vere aoristi infinitivus is est, qui unus omnium sincerissime meram verbi notionem

exprimat maximeque a certa temporis significatione abhorreat. Ergo ad naturam particulae hunc infinitivum aptissimum esse existimo. Simulatque autem potestas *πρίν* particulae propria in lingua evanuit atque in coniunctionis vim abiit, aliorum temporum infinitivi irrepebant atque gliscebant. Apud Thucydidem praesentis infinitivi usus admodum parcus est, perfecti infinitivo is plane abstinuit. Uberior iam apud Xenophontem praesentis infinitivorum seges effloruit. Quamquam cavendum est, ne infinitivi *ἥκειν* (*Ἑλλ.* I, 4, 10) et *εἶναι* (*Ἀν.* IV, 6, 24; V, 6, 33; VI, 5, 1; *Κυρ. παιδ.* VI, 3, 7; VIII, 8, 25; *Ἑλλ.* V, 4, 37; *Ἱππαρχ.* 4, 7 cf. Thucydidea IV, 2, 1 et 125, 3) praesentis infinitivis addamus. Attamen ter et vicies occurrit merus praesentis infinitivus; cuius qualis sit ratio accuratius investigemus. Recte iam God. Hermannus [1]) dixit ‚aoristo perfectionem rei indicari, praesente initium. Sic *πρὶν ἐμπρησθῆναι* priusquam exarserit, *πρὶν ἐμπίμπρασθαι* priusquam incendatur'. Quare imprimis apud Xenophontem adhibitus est praesentis infinitivus, si actio verbi non uno quasi temporis momento absolvenda, nedum absoluta, sed potius durans vel oriens repraesentatur. Affero *Ἀν.* I, 8, 19: *πρὶν δὲ τόξευμα ἐξικνεῖσθαι ἐκκλίνουσιν οἱ βάρβαροι* (antequam tela ad se pervenire possint, inclinant). Similia *Κυρ. παιδ.* II, 4, 25; III, 3, 60; VII, 1, 4; *Ἑλλ.* V, 4, 47; cf. Thucydidea I, 39, 2; 68, 3; II, 67, 3; III, 24, 2; V, 84, 3. Eodem modo explicandus est infinitivus praesentis in sententiis iterativis, velut *Κυρ. παιδ.* I, 6, 39; V, 1, 12; V, 2, 9; *Ἀπομν.* I, 2, 22; *Ἱερ.* 4, 2. Cf. locos Thucydideos I, 39, 1; IV, 14, 1; V, 60, 6. Nonnumquam haud multum abest, quin infinitivus in notionem negativam transierit, ut nostrum ohne zu cum infinitivo coniunctum fere aequiparet. Memorabilis est locus *Κυρ. παιδ.* VIII, 4, 11: *οὐ κλῆσιν ἀνέμενεν, ἀλλὰ πρὶν καλεῖσθαι παρῆν*, ubi *πρὶν καλεῖσθαι* verbis antecedentibus *οὐ κλῆσιν ἀνέμενεν* explicatur.

---

1) Ad Eurip. Med. 78 (edit. Elmsl.).

Cf. *Ἀπομν.* II, 1, 30: *πρὶν πεινῆν ἐσθίουσα καὶ πρὶν διψῆν πίνουσα.* — Mirus est infinitivus praesentis ad tempus enuntiati primarii futurum pertinens, qui apud Thucydidem fere non usu venit. Exempli gratia nomino *Ἑλλ.* IV, 5, 15: *ἀναχωρεῖν αὐτοὺς ἐκέλευε πρὶν τοὺς ὁπλίτας ὁμοῦ γίγνεσθαι.* Haud difficile est intellectu Xenophontem praesentis infinitivo futuri primi actionem significare voluisse, quum infinitivus aoristi semper habeat vim futuri exacti. Haec verba si ad orationem rectam conformaverimus, consilium scriptoris clarius elucebit: recedite, antequam hoplitae manus conserant. Contra *πρὶν ὁμοῦ γενέσθαι* interpretandum esset: antequam conseruerint. Cf. etiam *Κυρ. παιδ.* III, 1, 22 et *Οἰκον.* 15, 10.

Reliquum est, ut de perfecti infinitivis, qui apud Xenophontem duobus Anabaseos locis inveniuntur, pauca dicam. Loci sunt digni, quos plenius exscribamus. IV, 5, 22: *πρὶν εἴκοσι στάδια διεληλυθέναι ἦσαν πρὸς τῇ κώμῃ* et VI, 5, 5: *πρὶν δὲ πεντεκαίδεκα στάδια διεληλύθεναι ἐνέτυχον ἤδη νεκροῖς.* Eandem exhibent formulam, quae etiam apud Herodotum III, 25, 2 occurrit. Ratio sententiarum in ea re posita est, ut antequam actio secundaria plane absoluta fuerit, iam actio primaria intercesserit. Itaque aut plusquamperfectum in enuntiato primario invenitur, aut aoristus hac notione praeditus. Quamquam poetae Atticorum scenici a severitate usus vulgaris interdum abhorruerunt, ita ut Euripides ter [1]), Aristophanes octies iam infinitivo perfecti indulserint, tamen a scriptoribus Atticorum pedestribus haec norma tenetur. Quemadmodum igitur his quos modo commemoravi locis infinitivus perfecti unice verus est, ita perverse eum *Ἀν.* IV, 1, 21 adhibitum esse persuasum habeo (*καὶ διὰ τοῦτό σε οὐχ ὑπέμενον, εἴ πως δυναίμην φθάσαι, πρὶν κατειλῆφθαι τὴν ὑπερβολήν*). Sic praebent codices deteriores, quos editores sequuntur, quia in melioribus ABC [2]) verba *πρὶν κατειλῆφθαι* plane

---

1) Cf. Elmsleium ad Eur. Med. v. 79.

2) Utor significatione L. Dindorfii et Schenkelii.

desunt. Quid, quod hoc loco infinitivus perfecti ad actionem, quae tempore futuro continetur, pertinet? Atqui in omnibus huiusmodi locis legitur infinitivus aoristi. Exempli gratia locum nostri simillimum afferam *Ἑλλ.* VI, 5, 9: *φθάνουσι πρὶν καταληφθῆναι — καταφυγόντες.* Quibus rebus confisus infinitivum aoristi *καταληφθῆναι* hic reponendum esse puto. Quod in ABC verba *πρὶν καταληφθῆναι* exciderunt, propter clausulam verborum *φθάσαι* et *καταληφθῆναι*, praesertim si maiusculis quae dicuntur litteris scripta sunt, simillimam factum esse existimo.

Postremo autem loco non neglegendum est, ut apud Thucydidem numquam, sic apud Xenophontem perraro *πρότερον* in enuntiato primario poni. Tribus tantum Cyropaediae locis II, 2, 10; IV, 3, 14; V, 2, 9 occurrit, quibus unus *Οἰκον.* 8, 23 accedit. Bono hoc consilio a Xenophonte factum est. Namque in quattuor his exemplis infinitivus ad sensum paene negativum, quem nostro ohne zu significamus, inclinat, ita ut antecedens illud *πρότερον* ad notionem temporalem quasi quiescentem clarius exprimendam destinatum esse videatur.

Caput II.

De usu modi finiti a *πρίν* coniunctione pendentis Thucydideo et Xenophonteo.

§ 5. De origine modi finiti cum *πρίν* coniunctione copulati.

Perventum est ad alteram huius dissertationis partem, quae est de particula *πρίν* cum modo finito consociata. Cuius structurae ratio quum ab ea, quam modo tractavimus, magnopere discrepet, non ineptum erit perscrutari,

quomodo factum sit, ut eadem particula quae infinitivum regit modo quoque finito potiretur. Ineunte dissertatione docuimus adverbium *πρίν* duas ingressum esse vias, quarum altera ad infinitivum altera ad modum finitum duxerit. Hanc naturae originariae commutationem pedetentim factam esse probabile est. Ac nemo fere eorum, quibus de hac particula dicendi occasio data est, aut breviorem aut accuratiorem de hac re expositionem detrectavit. Et profecto viae qua ex particula *πρίν* coniunctio evasit perscrutatio non solum ad vim potestatemque particulae ipsius intellegendam, sed etiam ad universam syntaxis rationem perspiciendam summopere valet. Itaque nos quoque huic quaestioni pertractandae operam navabimus. Multo autem facilius haec quam prior disputatio nobis procedet. Altera enim *πρίν* particulae cum infinitivo structura iam in Homeri carminibus perfecta et varie exculta exstat; verbi autem finiti usus quasi nobis videntibus nascitur. Cuius ut exponam originem ab adverbio exordiendum esse mihi videtur.

Priore loco eorum exemplorum rationem contemplemur, quorum sententia ad tempus praeteritum pertinet. Primordia potestatis ex ea re mihi repetenda videntur, quod in carminibus Homericis adverbium *πρίν* ineunte enuntiato positum saepenumero ad sententiam antecedentem respicit. Exempli gratia nomino *Φ* 177—79:

> *τὸ δὲ τέτρατον ἤθελε θυμῷ*
> *ἆξαι ἐπιγνάμψας δόρυ μείλινον Αἰακίδαο*
> *ἀλλὰ πρὶν Ἀχιλεὺς σχέδον ἄορι θυμὸν ἀπηύρα.*

Schema existit hoc: antequam actio primaria ad finem pervenit, secundaria interrupta est. Cf. *Θ* 498. Sententia primaria aut condicionem durantem exprimit, quae nondum absoluta erat, quum secundaria intercideret, (velut his quos modo attuli locis), aut actionem non perfectam, quae secundaria superveniente impeditur, quominus perficiatur. In priore exemplorum genere

sententia primaria affirmativa est, in posteriore negativa. Cf. *Λ* 236 et *N* 161. Sed loci Homerici consistunt omnes in ratione paratactica; neque Hesiodus ad hypotaxin progredi ausus est. Primum huiusmodi exemplum, quod πρίν coniunctionem cum indicativo praeteriti copulatam ostendit, invenitur in Hymno in Ap. Pyth. v 179 [1]). Atticorum vetustiorum scripta si perlustramus, apud Aeschylum semel (Prom. 482), semel apud Sophoclem (Oed. Tyr. 776), septies apud Euripidem [2]) πρίν cum indicativo usurpatum videmus sententia primaria semper affirmativa. Qui loci omnes nostrae rationi facillime accommodantur. Actio primaria semper est durans. Quae antequam plane ad finem pervenit, secundaria iam intrat. Enuntiatum a πρίν coniunctione suspensum fere solum per se constat, ita ut haud procul absit a parataxi. In comparationem vocemus Latinorum coniunctionem *quum*, quae actione antecedente iterata sive durante eodem modo quasi παρατακτικῶς cum indicativo copulatur.

Eadem est ratio, si duae sententiae particula πρίν conexae tempore futuro continentur. Affero *Α* 29:

τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν [3]).

Πρίν sententiam antecedentem respicit; illam non solvam; prius (sc. quam exsolvam) senectus eam subierit. Etiamsi utrumque enuntiatum suo iure utitur, tamen ea est parataxis, quae ab hypotaxi haud procul absit. Quanto magis enim certa apodoseos affirmatio minuitur, tanto infirmior fit negatio sententiae primariae. Quod ut demonstretur, cum illo quem modo attulimus alium Iliadis locum in comparationem vocemus *Ω* 551:

οὐδέ μιν ἀνστήσεις· πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθησθα.

Sententia sic explanatur: neque vero eum excitabis,

---

1) Cf. Foerster. in priore Miscellan. lib. pag. 13.

2) Cf. Prause, l. l. pag. 27—28.

3) Similia exempla apud Richt. l. l. pag. 15—16.

prius (sc. quam excitare tibi contigerit) aliud malum vereor ne tibi accidat. Post sententiam tempore praeterito expressam πρίν sero in merae coniunctionis naturam transiisse vidimus: antecedente tempore futuro haec ut ita dicam metamorphosis iam in Homeri carminibus perfecta est, ita ut sexies occurrant coniunctivi cum πρίν coniunctione copulati. Neque neglegendum est e tribus Iliadis locis duos in libro duodevicesimo (Σ 134 et 189), qui ὁπλοποιΐαν continet, unum in ultimo qui κλαυθμοί inscribitur libro inveniri, quos libros non inter vetustiores carminis partes numerandos, sed aetate ad Odysseam, quae tria alia exhibet exempla (κ 174, ν 335, ρ 7), proxime accedere inter omnes fere constat. Exemplum merae rationis hypotacticae exstat Σ 134:

ἀλλὰ σὺ μὲν μήπω καταδύσεο μῶλον Ἄρηος,
πρίν γ' ἐμὲ δεῦρ' ἐλθοῦσαν ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἴδηαι,

(sed tu quidem noli in proelium irruere, prius enim me abs te conspici volo, id est: priusquam me conspexeris). Sensim sensimque ex parataxi fit agglutinatio, ex agglutinatione subordinatio. Quemadmodum tempore praeterito antecedente indicativum plerumque aoristi poni consentaneum est, quoniam de re vere facta agitur, sic tempore futuro praecedente non mirum videbitur, quod coniunctivus πρίν coniunctionem sequitur, quoniam notioni futuri exacti optime respondet. Quam in infinitivis disponendis statuimus distinctionem, eandem in modis finitis tractandis sequemur; eam, qua enuntiatum dominatu sententiae primariae liberatum quasi per se constat, rationem indicativo, eam, qua subiecti iudicio subordinatum est, coniunctivo vindicamus. Ac si quis quaerat, qua in re praecipua inter πρίν particulam cum infinitivo et cum modo finito coniunctam discrepantia posita sit, ratione logica subducta facile patebit. In prooemio satis mihi demonstrasse videor, si infinitivus particulam πρίν sequatur in medio relinqui, utrum actio secundaria fiat necne, sed id tantum tenendum esse, sententiam primariam ante (sive non ante) secundariam perfectam,

sive perficiendam ad effectum venisse sive venturam esse. Sententia igitur primaria comparatur cum secundaria. (*Τοῦτο ἦν πρὶν ἄλλο τι γενέσθαι.*) Comparatio est ut ita dicam progressiva. Longe alia ratio existat necesse est verbo finito adhibito. Actio aut re vera facta vel facienda aut certe exspectata exprimitur. (*Τοῦτο ἦν* sive *οὐκ ἦν, πρὶν ἄλλο τι ἐγένετο.*) Sententia secundaria comparatur cum primaria; comparatio est regressiva. — His rebus perpensis facile perspicitur adminiculo correlationis, quo et Richter et Prause et Lueth ad coniunctionis *πρίν* originem explicandam utuntur, non opus esse. Quidnam causae fuisse arbitremur, cur extemplo ex infinitivo a *πρίν* particula pendenti emerserit modus aliquis finitus? Maximeque illorum virorum argumentationi ea res obstat, quod in primordiis modi finiti apud Homerum Hesiodumque geminatio particulae *πρίν*, quam optimum correlationis testem putant, rarius usu venit.

Apud scriptores posteros *πρίν* magis magisque in certos coniunctionis fines sese contraxit. Quamvis scriptores Ionici et Atticorum tragici nonnumquam *πρίν* vocabulum meri adverbii loco aeque ac *πρότερον* adhibuerint, tamen nullo loco exemplum illis Homericis simile exstat, ita ut *πρίν* merum adverbium in initio enuntiati positum ad sententiam antecedentem respiciat. Apud scriptores Atticorum pedestres adverbium *πρίν* fere prorsus evanuit. Thucydides quidem, priscae elocutionis conservator, interdum *πρίν* adverbialiter adhibet, cf. I, 90, 1; III, 13, 6; III, 51, 2; IV, 21, 1; VI, 10, 1; 13, 1 alia. Fortasse non casu quodam factum est, sed consilio scriptoris, ut in Niciae oratione (VI, 9—14) duo huius adverbii *πρίν* exempla inveniantur. Etiam in epigrammate Hermae cuidam inscripto, quod idem in Anthol. Palat. VI, 138 servatum est, adverbium *πρίν* exstat.[1]) Distichon, quod Kirchhoffius scripturae rationem

---

[1]) Invenitur in Corp. inscr. Att. I, 381 (pag. 184).

respiciens intra Ol. 80 et 83 exaratum esse docet,[1]) lacuna expleta hoc modo legitur:

πρὶμ μὲν Καλλιτέλης ἱδρύσατο· τόνδε δ' ἐκείνου
ἔγγονοι ἐστήσανθ', οἷς χάριν ἀντιδίδου.

Sed et oratores[2]) et Xenophon adverbium πρίν plane vitaverunt. Itaque unum Cyropaediae locum (V, 2, 36), quo lectio codicum notionem adverbialem postulat, mendosum esse suspicio nobis existit. Verba sic leguntur: ἡμεῖς δὲ καὶ μείζονες νῦν ἢ πρίν, ἐπεὶ νενικήκαμεν, καὶ ἰσχυρότεροι, ἐπεὶ ηὐτυχήκαμεν. Mea quidem sententia illud ἢ πρίν additamentum futile est, praesertim si ad enuntiatum antecedens spectamus, ubi eadem formula atque cum infinitivo ut solet[3]) coniuncta occurrit (οἱ μὲν γὰρ πολέμιοι πολὺ μὲν ἐλάττονές εἰσι νῦν ἢ πρὶν ἡττηθῆναι ὑφ' ἡμῶν, πολὺ δ' ἐλάττονες ἢ ὅτε ἀπέδρασαν ἡμᾶς). Huc accedit quod causa corruptelae satis manifesta adest. Etenim scribam facile credendum est priore illo ἢ πρίν pellectum aberrasse, ita ut etiam inferiore loco eadem verba perperam irreperent. Itaque voculas ἢ πρίν ante ἐπεὶ νενικήκαμεν delendum esse statuo.

§ 6. De usu modi finiti cum πρίν particula coniuncti Thucydideo.

Priore loco dicendum est de indicativo coniunctionem πρίν sequenti, quem Thucydides duodecies adhibuit, sexies post sententiam affirmativam, sexies post negativam. Hi numeri ab opinione vulgari discrepare videntur, quum Lueth[4]) septem locos enumeret, qui indicativum post enuntiatum positivum exhibent. Fortasse in eundem incidit errorem, in quem omnes fere editores praeter Stahlium, quum uno loco VIII, 105, 2 (non VII, 105, 2 ut Lueth annotat[5]) enuntiatum primarium positivum esse statuerent.

---

1) L. l.

2) Lueth, l. l. pag. 8.

3) Cf. pag. 25.

4) Lueth, l. l. pag. 38.

5) Lueth, l. l. pag. 38.

Verbum enim regens est *ἀμῦναι οὐκ ἐδύναντο*; illud *εἶργον*, quod paullo ante legitur, parenthesi additum est, quam Stahlius uncis indicavit.

Ac primum quidem sex illa exempla tractabimus, quae ad sententiam affirmativam pertinent. Quum similia eiusdem dictionis exempla nisi apud poetas tragicos fere non inveniantur, hic usus Atticismi vetustioris proprius fuisse videtur. Iam rectissime Lueth Prausium vituperavit, quod hunc usum imprimis memorabilem tam leviter attigit. Itaque ipse quidem, quamquam apud oratores Atticos uno Aeschinis in oratione Timarchea loco excepto *πρίν* cum indicativo antecedente sententia affirmativa non exstat, accuratius de hac re dixit.[1] Atque ille quidem ne suae ipsius de *πρίν* coniunctione sententiae in prooemio expositae adversaretur, hanc dictionem quasi extra regulam ponere coactus erat. Namque initio dissertationis ‚sententia antecedente negativa *πρίν* correlationis via coniunctionis naturam induisse' dixerat;[2]) qua ex re sequitur eum modos finitos nisi sententia antecedente negativa concedere non posse.[3]) Valde eum his quamvis paucis, tamen non minus gravibus locis, qui indicativum post sententiam affirmativam praebent, cruciatum esse facile intellegitur. Nostra autem ratio tantum abest, ut huiusmodi structuris turbetur, ut confirmetur. Utrum negatio antecedat necne, quam parvi intersit, modo demonstrare studuimus.[4]) Quod quatenus ad locos Thucydideos valeat, duobus locis inter se comparatis statuamus. Legitur I, 51, 2: *ἐθαύμαζον τοὺς Κορινθίους πρύμναν κρουομένους, πρίν τινες ἰδόντες εἶπον ὅτι νῆες ἐκεῖναι ἐπιπλέουσι.* Actione secundaria intrante actio primaria extemplo finita est. Eodem modo III, 101, 2 se habet: *καὶ Ὑαῖοι οὐκ ἔδοσαν ὁμήρους, πρὶν αὐτῶν εἷλον κώμην.* Hyaei enim obsides recusare

---

[1]) Idem, l. l. pag. 37—39.

[2]) Lueth, l. l. pag. 7.

[3]) Lueth, l. l. pag. 35.

[4]) Cf. pag. 33 et 34.

destiterunt, postquam vicus captus est. Hac igitur in re duo exempla inter se congruunt, quod sententia secundaria perfecta primaria in contrarium mutatur. Navibus enim conspectis non iam mirati sunt, et vico capto obsides dederunt. — Sed sex illa exempla, quae antecedente sententia affirmativa indicativum praebent, accuratius inspiciamus. Quater sequitur aoristus I, 51, 2; III, 29, 1; III, 104, 7, VII, 71, 4, semel praesens historicum VII, 39, 2, semel imperfectum I, 118, 2. Sententia primaria plerumque exprimitur imperfecto; III, 29, 1 exstat praesens, III, 104, 7 aoristus. Etenim e natura totius periodi sequitur, ut enuntiatum primarium non rem semel factam, sed statum sive actionem durantem complectatur. Quanto minus sententia primaria ad rem quam celerrime perfectam spectat, eo magis impetus ac vis sententiae alterius repentina augetur. Exempli gratia explicemus quem supra exscripsimus locum I, 51, 2. Corcyraei vehementer mirabantur, quod Corinthios terga dantes viderunt, quoniam causam fugae non perspiciebant. Subito Atheniensium naves auxilio advectae in conspectum veniunt, ac clamor existit: ecce naves appropinquantes! Factum igitur repentinum actionem primariam quasi perrumpit atque opprimit. Namque Corcyraeos a mirando destitisse, simulatque navibus conspectis iusta defuit causa, consentaneum est. Et profecto praesens, quod VII, 39, 2 invenitur, nullam aliam habet causam, quam ut oratio vividiorem accipiat colorem. (*Τὸν αὐτὸν τρόπον αὖθις ἐπὶ πολὺ διῆγον τῆς ἡμέρας πειρώμενοι ἀλλήλων, πρὶν δὴ Ἀρίστων — πείθει.*) Sed quid faciamus de uno loco I, 118, 2, cuius apodosis continetur imperfecto? (*ἡσύχαζον τὸ πλέον τοῦ χρόνου —, πρὶν δὴ ἡ δύναμις τῶν Ἀθηναίων σαφῶς ᾔρετο*). Quidnam repentini in sententia secundaria inest? Sed recte nos iudicasse patet e sensu; in adverbio enim *σαφῶς* latet notio verbi sentiendi, ita ut hoc modo interpretemur: Lacedaemonii otiosi erant, quum Atheniensium opes crescere apparuit. Simili modo alia asperitas exaequatur. Aoristus unus,

qui III, 104, 7 in enuntiato primario invenitur, regulae nostrae reluctari videtur. Verba sunt haec: *τὰ δὲ περὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ πλεῖστα κατελύθη ὑπὸ ξυμφορῶν, ὡς εἰκός, πρὶν δὴ οἱ Ἀθηναῖοι τότε τὸν ἀγῶνα ἐποίησαν.* Thucydides pro brevitate dicendi narrationem facti et descriptionem status qui factum sequitur uno verbo *κατελύθη* conglutinat. Non modo dicere vult certamina sublata, sed potius ludos non iam celebratos esse. Absurdum sane est scholiastae cuiusdam glossema, qui annotat *πρὶν ποιῆσαι*. Attamen occasionem nobis offert duas structuras inter se comparandi. Namque infinitivus hoc loco adhibitus totius periodi rationem perverteret. Sensus fere hic evaderet: certamina pleraque sublata sunt, antequam Athenienses ludos instituerent. Tota periodus hac in re verteretur, quo tempore certamina sublata essent. Sin autem indicativus exstat, periodi caput in sententia posteriore cernitur. Magna ludorum intermissione facta Athenienses eos restituerunt.

Neque solum conexu sententiarum adducti, sed etiam particulis externis quasi indiciis usi hanc interpretandi viam iniimus. Nisi forte arbitramur casu quodam accidisse, ut semper fere (quinquies inter sex illos locos) particula *δή* coniunctioni *πρίν* addita sit. Quae particula quum vim habeat intensivam, sententiam antecedentem prorsus absolutam atque aliam statim subsequi significat. Itaque praecipuum locum in apodosi periodorum temporalium obtinet.[1]) Haec ratio etiam in eo de quo nunc agimus usu cernitur. Etenim enuntiatum a voculis *πρὶν δή* incipiens potestate utitur apodoseos. Itaque illud *δή* quum alibi, tum iis locis aptum videtur, in quibus scriptor studio narrandi abreptus praesens historicum ponit; tanquam si notionem praeteriti, quae praesentis formae deest, particula *δή* apposita supplere velit. Cf. VII, 39, 2. Hoc modo factum est, ut etiam in eas structuras, quae post sententiam negativam indicativum exhibent, vocula

---

[1]) Cf. K. W. Kruegeri Griech. Sprachl. § 65, 9.

δή irreperet. Unicus enim locus qui sententia antecedente negativa apud Thucydidem illud δή habet, continetur praesente historico I, 132, 5: *ἀλλ' οὐδ' ὣς οὐδὲ τῶν Εἱλωτῶν μηνυταῖς τισι πιστεύσαντες ἠξίωσαν νεώτερόν τι ποιεῖν ἐς αὐτόν —, πρίν γε δὴ αὐτοῖς — μηνυτὴς γίγνεται.* Qua ratione subducta coniecturam Haasii et Kruegeri, quam Stahlius vel in textum recepit, reicere non dubito. Haasius enim primus[1]) V, 61, 1 pro πρὶν ἤ, quod codices habent ad unum omnes, πρὶν δή scribere proposuit. Ille autem non animadvertit ceteris quattuor locis, qui πρίν cum indicativo coniunctum post sententiam negativam praebent, πρίν solum inveniri. Analogia unius loci I, 132, 5 perperam affertur, quoniam δή praesenti historico additum est. Magis igitur veri simile puto esse, ceteris qui aoristi indicativum exhibent locis collatis, Thucydidem etiam hoc loco, qui item aoristum continet, πρίν simplex scripsisse, ita ut verba hoc modo legenda sint: *καὶ πρὸς τὸν δῆμον οὐ προσῆγον βουλομένους χρηματίσαι, πρὶν Μαντινῆς καὶ Ἠλεῖοι κατηνάγκασαν δεόμενοι.* Ac si quis illud ἤ prorsus delere temeritatis esse ducat, alio loco VIII, 105, 2, ubi Vaticanus codex πρὶν ἤ habet, critici fere omnes πρίν simplex restituerunt.

Iam alterum indicium eruamus, quo totius periodi summam in enuntiato a πρίν coniunctione pendenti cerni demonstretur. Sententiae ita continuantur, velut si enuntiatum πρίν coniunctione inductum sententiam in tota periodo dominantem contineat. Tribus enim locis I, 51, 2; I, 118, 2; VII, 71, 4 sequens verborum circuitus orditur a verbis *τότε δέ*, quae non ad tempus actionis primariae, sed ad apodosin referenda sunt. Fusius exscribam VII, 71, 4: *παραπλήσια δὲ καὶ οἱ ἐπὶ τῶν νεῶν αὐτοῖς ἔπασχον, πρίν γε δὴ οἱ Συρακόσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι ἐπὶ πολὺ ἀντισχούσης τῆς ναυμαχίας ἔτρεψάν τε τοὺς Ἀθηναίους καὶ — κατεδίωκον ἐς τὴν γῆν· τότε δέ* — hoc est: tum autem (sc. quum a Syracusanis fugati essent). Continuatio

---

1) Lucubr. Thucyd. pag. 88.

verborum procedit aeque, ac si sententia a *πρίν* coniunctione pendens sit enuntiatum per se constans. Eo autem Thucydides progressus est, ut illud *τότε* enuntiato a *πρίν* coniunctione pendenti ipsi insereret. III, 104, 7: *καὶ τὰ πλεῖστα κατελύθη, πρὶν δὴ οἱ Ἀθηναῖοι τότε τὸν ἀγῶνα ἐποίησαν.* Duobus reliquis locis, qui *πρὶν δή* exhibent, quamquam voculae *τότε δέ* non leguntur, tamen ratio sententiarum eadem est. Quodsi III, 29, 1, postquam antecesserunt verba: *τοὺς μὲν ἐκ τῆς πόλεως Ἀθηναίους λανθάνουσι, πρὶν δὴ τῇ Δήλῳ ἔσχον,* hoc modo Thucydides pergit: *προςμίξαντες δέ,* facile adducimur ut enuntiatum simplex *ἔσχον δὴ τῇ Δήλῳ* antecessisse opinemur.

Iam vero ad eos locos contemplandos transeamus, qui sententia antecedente negativa indicativum praebent. Sententia a *πρίν* coniunctione pendens semper rem vere factam continet, quae non consilio scriptoris cum sententia primaria conectitur, sed potius per se cum re in enuntiato primario narrata cohaeret. Relatio quaedam interior, ut ita dicam, intercedit inter utrumque enuntiatum. Hac in re discrepantiam gravissimam positam puto, quae inter *πρίν* particulam cum infinitivo et cum indicativo coniunctam statuenda est. Infinitivus enim non novam, quae evenit, actionem sententiae primariae accedentem inducit, sed omnis per se potestatis expers enuntiatum primarium determinat ac definit. Sin vero in periodo *πρίν* cum indicativo coniunctum legitur, semper duo facta inter se comparantur, quorum alterum alteri ex natura rerum successit. Exempli gratia afferam V, 10, 3: *οὐ βουλόμενος μάχῃ διαγωνίσασθαι πρὶν οἱ τοὺς βοηθοὺς ἥκειν.* Hoc loco id solum tenendum est, Cleonem a n t e a d v e n t u m s o c i o r u m proelium omnino non facere in animo habuisse. Auxilia autem utrum re vera advenerint necne ex his verbis non sequitur. Itaque in ambiguo relinquitur, utrum proelium committatur necne. At ratio longe alia esset, si legeretur: *μάχῃ οὐ διηγωνίσατο, πρὶν οἱ βοηθοὶ ἧκον.* Indicativus praeteriti ea solum condicione locum tenet, si socii re vera iam advenerunt.

Quod ubi primum factum est, actio etiam primaria ex statu negativo in positivum transgressa ad effectum venit. Itaque duo facta subsequentia et inter se cohaerentia (adventus sociorum et proelium commissum) significantur. Quin etiam in lingua latina quum aliis locis semper coniunctivus adhiberi soleat, si sententiam antecedentem negativam sequitur res vere facta, post coniunctionem *priusquam* indicativus obvius est. Hic igitur locus vertendus esset: proelio non decertavit, priusquam socii advenerunt.

Neque vero mirum erit in utroque enuntiato fere semper simplicem aoristum inveniri. Semel tantum I, 132, 5 in enuntiato secundario in viva oratione praesens legitur historicum; actio primaria quater mero aoristo (I, 132, 5; II, 65, 3; III, 101, 2; V, 10, 9) semel (V, 61, 1) imperfecto eoque vi aoristica praedito, semel (VIII, 105, 2) infinitivo aoristi a verbo *δύναμαι* pendenti expressa est.

Iam supra animadvertimus indicativum post *πρίν* nisi de rebus perfectis usurpari non posse. Sed rem vere ad effectum venisse, nullo loco Thucydideo diserte indicatur; nam structura coniunctionis *πρίν* cum indicativo copulatae paullulum a sententia per se expressa differt, ut dominatu enuntiati primarii liberata ipsa sententiam novam et paene per se constantem inducere videatur. Omnia huiusmodi exempla argumento sunt. Affero II, 65, 3: *οὐ μέντοι πρότερόν γε οἱ ξύμπαντες ἐπαύσαντο ἐν ὀργῇ ἔχοντες αὐτόν, πρὶν ἐζημίωσαν χρήμασιν*; id est: neque vero prius omnes Periclem in odio habere desierunt, quam pecunia multaverunt. Nunc vero exspectamus sententiam talem: ubi primum autem pecunia multaverunt, omnes in odio eum habere desierunt. Hunc sensum in animo habuisse Thucydidem ex sequenti *ὕστερον δέ* colligi potest, quod ad sententiam illam per ellipsin omissam referendum est; (paulo autem post, sc. quam cum pecunia multaverunt). Eodem modo I, 132, 5 illud *τότε δή* (scl. *ἐπεὶ μηνυτὴς ἐγένετο*), quod ineunte capite

postero legitur, ad ellipsin post πρίν coniunctionem statuendam revocabimus. Quod vero, quod III, 101, 2, quum antecedat καὶ Ἰαῖοι οὐκ ἔδοσαν ὁμήρους, πρὶν αὐτῶν εἷλον κώμην, vicum captum obsidesque datos esse diserte non narratur, sed hac ellipsi ne ulla quidem voce significata Thucydides pergit his verbis ἐπειδὴ δὲ κατεσκεύαστο πάντα καὶ τοὺς ὁμήρους κατέθεντο ἐς Κυτίνιον, aeque ac si scriptum esset antea: ἐπεὶ αὐτῶν εἷλον κώμην, Ἰαῖοι ἔδοσαν ὁμήρους. Etiam ad locum V, 61, 1 hanc rationem valere ea re elucet, quod factum subsequitur: καὶ ἔλεγον οἱ Ἀθηναῖοι. Negationem igitur videmus aliquid rhetorici habere, quoniam sententiam non omnino negat, sed usque ad id tantum temporis momentum, quo actio secundaria ad effectum venit. Quae simulatque perfecta est, actio primaria ex statu negativo in affirmativum transit.

Age vero ad singula quaedam tractanda accedamus. Quemadmodum Thucydides ante infinitivum numquam πρότερον — πρίν, sed aut πρίν solum aut πρότερον — ἤ ponere solet, ut pag. 20 observavimus, sic ne negativo quidem enuntiato antecedente, qua est brevitate, πρότερον in deliciis habet. Nam duobus tantum locis II, 65, 3 et V, 10, 9 οὐ πρότερον — πρίν adhibuit, quorum alter (II, 65, 3) formulam saepissime usurpatam οὐ πρότερον ἐπαύσατο — πρίν exhibet, cui numquam fere πρότερον deest. Contra duo nominanda sunt exempla, in quibus οὐ πρότερον — ἤ cum indicativo consociatum invenitur. Neque licentiae id tribuendum, sed bono Thucydidis consilio factum esse censeo. Discrimen enim quamvis subtile inter rationes locorum, qui οὐ πρότερον — πρίν et qui οὐ πρότερον — ἤ praebent, interesse mihi videtur. Structura vocabulis οὐ πρότερον — πρίν formata etsi proprie negativa est, tamen magis ad sensum positivum inclinat et novum agendi momentum inducit, id quod ellipsi statuta modo demonstravimus. Quam ob rem in continua rerum gestarum narratione optime locum tenet. Altera autem formula οὐ πρότερον — ἤ hoc vivo colore

caret neque tam celeriter narrantis, quam tranquille contemplantis est. Haec igitur dictio locis deliberativis potius convenit. Bono nobis contingit casu, ut duos apud Thucydidem locos habeamus, qui ut vocabulis et forma similes, ita huius structurae diversitate segregandi sunt. Legitur V, 10, 9: *οὐ πρότερον ἐνέδοσαν, πρὶν ἥ τε Μυρκινία καὶ ἡ Χαλκιδικὴ ἵππος καὶ οἱ πελτασταὶ περιστάντες καὶ ἐσακοντίζοντες αὐτοὺς ἔτρεψαν*; quocum comparetur II, 65, 12: *οὐ πρότερον ἐνέδοσαν, ἢ αὐτοὶ ἐν σφίσι καὶ ταῖς ἰδίαις διαφοραῖς περιπεσόντες ἐσφάλησαν.* Priore loco actio fugandi extemplo ad effectum venit et narratio se vertit ad fugam describendam: *οὕτω δὲ τὸ στράτευμα πᾶν ἤδη τῶν Ἀθηναίων φυγὸν κτλ.* Altero loco nullam habemus rerum gestarum narrationem, sed quae Thucydides ipse de Periclis in rem publicam meritis et de populi Atheniensis indole ac robore iudicat, eloquitur. Concludit denique hanc ratiocinationem his verbis: *οὐ πρότερον ἐνέδοσαν, ἢ κτλ.* Eodem modo etiam VIII, 24, 5, quum qualis Chiorum fuerit ante defectionem condicio describatur, ratio contemplativa praevalet (*καὶ οὐδ' αὐτὴν τὴν ἀπόστασιν πρότερον ἐτόλμησαν ποιήσασθαι ἢ μετὰ πολλῶν τε ἀγαθῶν ξυμμάχων ἔμελλον ξυγκινδυνεύσειν*).

Iam nunc pervenimus ad id exemplorum genus, quod ad tempus futurum pertinet. In enuntiato secundario exstat coniunctivus sive optativus, qui apud Thucydidem ter decies, quo in numero duo sunt optativi, adhibentur. Sententiam primariam semper negatione praeditam esse iam dudum viri docti observarunt.[1]) Cui regulae ne Thucydides quidem adversatur. Perverse enim a Prokschio[2]) loco VI, 38, 2 sententiam antecedere affirmativam contenditur. Locus dignus est, quem fusius exscribamus: *καὶ δέδοικα μέντοι, μή ποτε πολλὰ πειρῶντες καὶ κατορθώσωσιν· ἡμεῖς δὲ κακοί, πρὶν ἐν τῷ παθεῖν ὦμεν,*

---

1) Cf. Elmsl. ad Eur. Med. v. 215; Bernhardy, Wissensch. Synt. pag. 400.

2) Proksch, l. l. pag. 456.

προφυλάξασθαί τε καὶ αἰσθόμενοι ἐπεξελθεῖν.[1]) Thucydides enim enuntiatum posterius *ἡμεῖς δὲ κακοί, πρὶν κτλ.* conscripturus memoria tenebat illud antecedens *δέδοικα μή*, cui si non re vera, at certe *κατὰ σύνεσιν* sententiam inferiorem subiunxit, ita ut vis negativa structurae *δέδοικα μή* insita usque ad enuntiatum a *πρίν* pendens permaneret. Itaque unice verus est coniunctivus *ὦμεν* in enuntiato a *πρίν* pendenti, quae lectio iam a Bekkero levi post *ὦμεν* interpunctione posita restituta est. Ad vocem *κακοί* supplendum est sive *ἐσμέν*, sive *ὦμεν*, quae utraque ellipsis nec a linguae Graecae natura,[2]) nec ab usu Thucydideo abhorret.[3])

Inter tredecim illa Thucydidis exempla quattuor tantum occurrunt, quae oratione recta continentur VI, 38, 2; VI, 71, 2; VIII, 9, 1 et 3. Duo libri octavi exempla exhibent verba optandi (*οὐ προυθυμήθησαν ξυμπλεῖν, πρὶν τὰ Ἴσθμια διεορτάσωσιν* et *οὐ βουλόμενοι που πόλεμον ἔχειν, πρίν τι καὶ ἰσχυρὸν λάβωσι*). Illud quoque *οὐ δυνατὸν εἶναι*, quod VI, 71, 2 exstat, manifestam habet notionem futuri, quae VI, 38, 2 toto sententiarum conexu efficitur. Ceteris locis oratio est obliqua; quae simulatque in rectam conformata erit, notiones futuri enucleabuntur. Bis a verbo dicendi pendet enuntiatum coniunctione *ὅτι* inductum, quod altero loco merum futurum continet (IV, 97, 2: *εἰπὼν ὅτι οὐδὲν πράξει πρὶν ἂν ἀναχωρήσῃ*), altero notionem periphrasticam (VI, 29, 2: *ἐπεμαρτύρετο ὅτι σωφρονέστερον εἴη μὴ μετὰ τοιαύτης αἰτίας πρὶν διαγνῶσι πέμπειν*). Sententia simplex est: *μή με πέμπετε πρὶν διαγνῶτε.* Infinitivus *διαγνῶναι*, quem codex Mosquensis hoc loco praebet, nullam habet defensionem. Neque enim de termino mittendi sermo est, sed precatur Alcibiades, ut crimina in ipsum coniecta ante discessum diiudicentur. — Quinque locis antecedunt infinitivi,

---

1) De controversiis editorum vid. Popp. l. l. II, 4, 92.

2) Cf. Raph. Kuehner, ausfuehrl. Gr. d. gr. Spr., § 354, Anm. 2.

3) Cf. Popp. l. l. I, 1, 284.

semel aoristi (I, 91, 3) quater praesentis, qui et verbis dicendi *προειπεῖν* (II, 84, 1), *ὑπειπεῖν* (II, 102, 5), *εἰπεῖν* (II, 6, 2) et participio verbi *κελεύειν* (I, 91, 3) et verbo *χρῆναι* (VI, 10, 5) subiungendi sunt. His exemplis ad simplicem orationis rectae formam redactis nudi restabunt prohibitivi, qui semper ad tempus futurum spectant, *μὴ ἀφῆτε* (I, 91, 3), *μηδὲν ποιήσητε* (II, 6, 2) *μὴ ἐπιχειρήσητε* (II, 84, 1), *μὴ ἀξιῶμεν* (VI, 10, 5). Uno loco merus futuri indicativus se praebebit II, 102, 5: *οὐκ ἔσται λύσις*. — Sed de duobus illis locis III, 22, 8 et IV, 117, 1, qui optativum exhibent, quid dicemus? Quomodo discrepant a prioribus? Si sensum respicimus, nihil est discrepantiae; nam IV, 117, 1 antecedit infinitivus aoristi cum *ἄν* particula coniunctus, qui a verbo sentiendi pendet (*νομίσαντες Ἀθηναῖοι μὲν οὐκ ἂν ἔτι τὸν Βρασίδαν σφῶν προσαποστῆσαι οὐδέν, πρὶν παρασκευάσαιντο καθ' ἡσυχίαν*); et III, 22, 8 enuntiatum a coniunctione *ὅπως* incipiens anteit, quod utrumque notionem futuri aequiparat. Quamquam Graecorum more etiam in oratione obliqua plerumque structura orationis rectae manet, his tamen locis in formam obliquam re vera transiit. Utra orationis ratio adhibeatur, quam parvi intersit, elucet ex loco III, 22, 8, ubi duae formae miscentur: *ὅπως ἀσαφῆ τὰ σημεῖα τῆς φρυκτωρίας τοῖς πολεμίοις ᾖ καὶ μὴ βοηθοῖεν* —, *πρὶν σφῶν οἱ ἄνδρες οἱ ἐξιόντες διαφύγοιεν καὶ τοῦ ἀσφαλοῦς ἀντιλάβοιντο*. Subito neque cum ulla causa interna transitus fit ad orationis obliquae formam. Thucydides si perrexisset verbis *καὶ μὴ βοηθῶσιν*, etiam in clausula periodi coniunctivos posuisset.

Atque nunc quidem nos vocat quaestio difficillima, utrum Thucydides inter coniunctivum cum *ἄν* particula coniunctum et eiusdem particulae expertem discrepantiam statuerit necne. Ex undecim enim exemplis quinque simplicem coniunctivum particula *ἄν* non addita praebent (VI, 10, 5; VI, 29, 2; VI, 38, 2; VIII, 9, 1 et 3). Haec particulae *ἄν* omissio quum optimorum codicum consensu firmetur, neminem puto evasurum esse, qui

scribarum neglegentia hoc factum esse contendat, praesertim quum post coniunctionem *μέχρι οὗ* idem usu veniat (III, 28, 2; IV, 16, 2; 41, 2; 46, 3). Quid? Num credendum est Thucydidem hanc particulam sine ullo consilio, sed casu quodam modo omisisse, modo adhibuisse? Quomodo haec incuria cum eximia Thucydidis *ἀκριβείᾳ* concinit, quae imprimis in arguta similium verborum et structurarum distinctione cernitur? Itaque facere non possum, quin inter eos qui *ἄν* habent et eos qui non habent coniunctivos discrimen statuam. Nec Prausii [1], nec Luethii [2]) opinionibus deterreor, qui quidem, sive *ἄν* additum sit, sive non additum, sententiarum rationem nihil commutari existimant. Age vero duos Thucydidis locos in comparationem vocemus I. 91, 3: *πέμπει κελεύων — μὴ ἀφεῖναι, πρὶν ἂν αὐτοὶ πάλιν κομισθῶσιν* et VI. 10, 5: *χρὴ σκοπεῖν τινα αὐτὰ καὶ μὴ μετεώρῳ τῇ πόλει ἀξιοῦν κινδυνεύειν καὶ ἀρχῆς ἄλλης ὀρέγεσθαι, πρὶν ἣν ἔχομεν βεβαιωσώμεθα.* Priore loco Themistocles Atheniensibus clanculum nuntium misit, ut legatos Lacedaemoniorum ea solum condicione dimitterent, ut ipsis antea a Lacedaemoniis reditus permissus esset. Altero libri sexti loco Nicias demonstrare vult tempus ad expeditionem Siciliensem suscipiendam aptissimum non adesse: prius aliena imperia expetere, quam quod possiderent communivissent, temeritatis esse. Ergo discrimen persuasum habeo hoc esse statuendum, ut in enuntiato, quod nudo coniunctivo continetur, vim temporalem, in enuntiato, cui *ἄν* additum est, vim hypotheticam praevalere existimem. Luculentissima potestas temporalis est VIII, 9, 1: *οὐ προυθυμήθησαν ξυμπλεῖν, πρὶν τὰ Ἴσθμια, ἃ τότε ἦν, διεορτάσωσιν*, ubi ratio condicionalis omnino deest.

Huiusmodi exempla ad infinitivi post *πρίν* particulam usum proxime accedunt, praesertim si eos locos

---

1) Prause, l. l. pag. 17/18.
2) Lueth, l. l. pag. 45.

respicimus, qui antecedente negatione infinitivum praebent, velut V, 10, 3 et VII, 50, 4, de quibus supra dictum est. (Cf. pag. 20.) Quid igitur mirum, quod VI, 29, 2 in codice Mosquensi ex aperta scioli cuiusdam correctione legitur infinitivus *διαγνῶναι*, et VI, 38, 2 nonnulli coniunctivum *ὦμεν* ad *κακοί* trahendum atque in enuntiato a *πρίν* coniunctione pendenti infinitivum *εἶναι* supplendum esse opinati sunt? [1])

Iam illud ad argumentationem meam corroborandam aliquid conferre puto, quod uno loco VII, 63, 1 *πρότερον — ἤ* cum coniunctivo *ἄν* particula non addita invenitur (*ὧν χρὴ μεμνημένους διαμάχεσθαι ὅσον ἂν δύνησθε καὶ μὴ ἐξωθεῖσθαι ἐς αὐτήν, ἀλλὰ ξυμπεσούσης νηὶ νεὼς μὴ πρότερον ἀξιοῦν ἀπολύεσθαι, ἢ τοὺς ἀπὸ τοῦ πολεμίου καταστρώματος ὁπλίτας ἀπαράξητε*). Vehementer de huius loci lectione disceptatum est. Codices enim ACFGM [2]) habent *ἥν*, E *ἦν*; in G ex aperta correctura adscriptum est *ἢν μή*, quod perperam in vulgatam irrepsit. Iam rectissime Bekkerus auctoritatem Vaticani, codicis unius omnium praestantissimi, secutus *ἤ* textu restituit. Hoc exemplo perspicuo apparet rationem condicionalem reprimi vi temporali; quam quo fortius significaret, formulam *πρότερον — ἤ* adhibuit Thucydides particula *ἄν* omissa.

Hoc loco etiam duorum exemplorum mentio facienda est, quae in Aeneae Tactici commentario poliorcetico exstant. Duobus illis locis, quibus coniunctio *πρίν* apud hunc autorem nobis obvia fit, cum coniunctivo copulata est. Verba in editione Hercheri sic leguntur: *γενομένης δὲ ἡμέρας τοὺς φύλακας μὴ ἀφιέναι* (sc. *χρή*) *ἐκ τῶν φυλακείων. πρὶν ἂν τὰ ἔξω προσερευνηθέντα ἐμφανισθῇ καθαρὰ ὄντα πολεμίων* (cap. 27, 15). Alter locus (cap. 28, 4) sic se habet: *ἔξω τε μηδένα ἀφίεσθαι, πρὶν ἂν ἐξερευνηθῇ τὰ περὶ τὴν πόλιν.* Sed neutro loco codex Laurentianus exhibet *πρὶν ἄν*, contra *πρὶν ἤ*, quod quum a dictione Attica abhorrere

---

1) Cf. Popp. l. l. II, 4, 92.
2) Sequor signa codicum a Bekkero et Stahlio adhibita.

videretur, Meinekius, quem Hercher in editione sequitur, πρὶν ἄν correxit, epitoma fortasse ductus Iulii Africani, qui posteriore loco scripsit ἄν pro ἤ. At vide ne huius compilatoris auctoritatem pluris aestimes! Illum nonne consentaneum est vulgarem dicendi consuetudinem secutum, secundum quam ἄν deesse non potuit, structuras sua aetate insolitas atque obsoletas vitasse, praesertim si una vocula addita fieri posset? Itaque Meinekius mihi non recte fecisse videtur. Equidem vocem ἤ plane delendam esse arbitror, ita ut nudus coniunctivus post πρίν existat. Namque Aeneas, qui Thucydidi imitando operam dedit, hanc quoque coniunctionis πρίν structuram in suum usum convertit. Neque enim neglegendum est, quod duobus locis, qui ad eandem fere sententiam spectant, ratio temporalis imprimis dominatur. Huc accedit, quod bis in eodem libello post μέχρι οὗ (cap. 33, 4) et μέχρι solum (22, 27) codex Laurentianus coniunctivum sine ἄν particula praebet; quam lectionem unice veram restituere haud dubito, quamquam Meinekius his quoque locis ἄν inculcavit.

Hoc loco occasionem de formula πρὶν ἤ pauca dicendi praetermittere nolumus. De origine coniunctionis πρίν quae exposuimus [1]) si in memoriam revocamus, particula ἤ cum πρίν sociata admodum mira videtur. Sed Graeci potestatis particulae πρίν primariae obliti quemadmodum in formula πρότερον — ἤ, sic in hac quoque structura rationem construendi mutarunt, ita ut e notione comparativa, quam in particula πρίν inesse senserunt, illud ἤ deducerent. Haec vocula ἤ quum apud Homerum (cf. *E* 288 et *X* 266) praecipueque apud Herodotum (cf. I, 78, 2; II, 2; IV, 167, 1; VIII, 12; IX, 13; 48, 2, alia) quodammodo per se constans atque a πρίν separabilis sit, in linguam vulgarem transgressa cum πρίν particula in unum quasi vocabulum coaluit, ita ut inter πρίν et πριν ή ne minima quidem intercederet discrepantia. Quaeritur

---

[1]) Cf. pag. 6 et 7.

nunc, utrum *πρὶν ἤ* omnino sit Atticum necne. Haec quaestio quoniam a Luethio optime pertractata est,[1]) satis sit nobis eius argumentationem, quoad nostris exemplis fieri potest, confirmare. Atque ut testimoniis haud dubie genuinis uti possimus, inscriptiones Atticas a Kirchhoffio collectas perlustravimus. Tribus locis *πρίν* particula exstat, e quibus unus admodum mutilus (C. I. A. I pag. 9, num. 12, vers. 10) nihil valet. Duobus aliis locis pag. 8, num. 9, vers. 14 *πρὶν ἐσιέναι* (sive secundum Boekhium [2]) *ἐξιέναι*) et pag. 45, num. 96, vers. 6 *πρὶν ἄν* — legitur; nullum *ἤ* particulae adest vestigium. Quid autem, quod in Plut. Sol. cap. 19 lex quaedam Solonis *ἄξονι* qui vocatur inscripta his verbis affertur:

Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν, ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ, ἢ σφαγαῖσιν, ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε.

Num credendum est in edicto publico formulam *πρὶν ἤ* ceteroquin apud Atticos inauditam adhibitam esse? Legis huius verba si incorrupta ad nos pervenissent, una illa forma omnes disceptationes infringeret ac profligaret. Sed videamus de genuinitate. Quamquam Plutarchus addit: *ὁ δὲ τρισκαιδέκατος ἄξων τοῦ Σόλωνος τὸν ὄγδοον ἔχει τῶν νόμων οὕτως αὐτοῖς ὀνόμασι γεγραμμένον*, tamen ne ipse quidem textui fidem habet, quum paulo infra dicat: *εἰ μὴ νὴ Δία γέγονέ τις ἀσάφεια τοῦ γράμματος ἢ ἔκλειψις.* Didymi grammatici *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀντιγραφὴν πρὸς Ἀσκληπιάδην*, quam in initio libelli nominat, excerpsit. Itaque de genuina huius loci lectione nullum ferri licet iudicium. Mihi quidem totum enuntiatum *πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι* aperte videtur esse a grammatico confictum. Neque enim verisimile est in Solonis lege scripta fuisse verba *πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι*, praesertim quum tempus sub exitum edicti diserte addatur (*ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε*).

1) Lueth, l. l. pag. 32—35.
2) C. I. G. 73 b.

Quae quum ita sint, quoniam poetae Atticorum et lyrici et tragici formula πρὶν ἤ plane abstinuerunt, quoniam Luethio auctore etiam e textu oratorum Atticorum prorsus removenda est, quoniam inscriptiones Atticae nullum ἤ particulae vestigium ostendunt: in eam facile adducimur opinionem etiam in Thucydidis libro, ubi bis (V, 61, 1 et VIII, 12) occurrit et apud Xenophontem, ubi ter (Ἀν. IV, 5, 1; Κυρ. παιδ. I, 4, 23; Ἀγησ. 2, 4) invenitur, illud ἤ corruptum esse. Huc accedit quod in priore Thucydidis loco apertum inest mendum (cf. pag. 41) et in VIII, 12 ceteri praeter unum quamvis optimum B codices ἤ non habent. De Xenophontis locis vide quae infra pag. 53 exposui.

§ 7. De usu modi finiti a πρίν coniunctione pendentis Xenophonteo.

Perventum est ad Xenophontem. Ac priore quidem loco dicendum erit de iis exemplis, quae πρίν coniunctionem cum indicativo consociatam exhibent. Quorum structura quum pro simplicitate dictionis Xenophonteae multo sit facilior atque planior, quam Thucydidea, paucis explanari potest. Inter locos undeviginti unus exstat, qui post enuntiatum affirmativum indicativum praebet Ἀν. II, 5, 33: οἱ δὲ Ἕλληνες τήν τε ἱππασίαν ἐθαύμαζον ἐκ τοῦ στρατοπέδου ὁρῶντες καὶ ὅτι ἐποίουν ἠμφεγνόουν, πρὶν Νίκαρχος Ἀρκὰς ἧκε φεύγων. Quod exemplum quum et verbis et sensu ad similitudinem Thucydideorum conformatum sit, accuratiorem interpretationem instituere supersedeo. Namque non solum sententia primaria imperfecto continetur (ἐθαύμαζον et ἠμφεγνόουν) et secundaria aoristo exprimitur (ἧκε enim quamvis forma sit imperfectum, sensum tamen aoristi habet), sed etiam actio secundaria repentino quodam impetu intrat.

Transeamus igitur ad alterum exemplorum ordinem, qui negatione antecedente indicativum praebent. Enuntiatum regens sexies alii subiectum est, id quod apud Thucydidem ne uno quidem loco usu venit. In quattuor

exemplis (Ἀν. III, 1, 16; III, 2, 29; VI, 1, 27; Λακεδ. πολ. 8, 5) ratio haec est, ut sententia primaria enuntiato coniunctione ὅτι inducto exprimatur. Exempli gratia unum locum Ἀν. III, 1, 16 adscribam: *οἱ μὲν γὰρ πολέμιοι δῆλον ὅτι οὐ πρότερον πρὸς ἡμᾶς τὸν πόλεμον ἐξέφηναν, πρὶν ἐνόμισαν καλῶς τὰ ἑαυτῶν παρασκευάσασθαι.* Haec subordinatio coniunctione ὅτι effecta haud procul abest ab enuntiato per se constanti. Namque ex Graecorum consuetudine tantum abest ut enuntiatum explicativum particula ὅτι inductum sub dominatu enuntiati regentis teneatur, ut sine ulla modorum mutatione vim suam teneat. Itaque conformatio verborum ac temporum plane cum aliis exemplis congruit. His enim quattuor locis si demas ὁρῶ sive δῆλον ὅτι, restat schema Xenophonteum: *οὐ πρότερον* (sive *πρόσθεν*) cum aoristi indicativo — *πρίν* cum indicativo. Duobus reliquis locis oratio re vera est obliqua. Pendet enim enuntiatum secundarium ab infinitivo praesentis Ἀν. III, 4, 28 (*ὥστε ἀπὸ τοῦ τρίτου γηλόφου ἔδοξεν αὐτοῖς μὴ κινεῖν τοὺς στρατιώτας, πρὶν ἀπὸ τῆς δεξιᾶς πλευρᾶς τοῦ πλαισίου ἀνήγαγον πελταστὰς πρὸς τὸ ὄρος*), et ab infinitivo aoristi Λακεδ. πολ. 8, 1 (*ἐγὼ μέντοι οὐδ' ἐγχειρῆσαι οἶμαι πρότερον τὸν Λυκοῦργον ταύτην τὴν εὐταξίαν καθιστάναι, πρὶν ὁμογνώμονας ἐποιήσατο τοὺς κρατίστους τῶν ἐν τῇ πόλει*). — Novies autem sententiae et primaria et secundaria simplici aoristo exprimuntur. Inter haec exempla formulae quaedam inveniuntur, quas Xenophon in deliciis habet. In fuga enim praecipiti describenda quater (Ἑλλ. IV, 3, 8; V, 4, 45; Κυρ. παιδ. I, 4, 23; Ἀγησ. 2, 4) una eademque sententia iisdem fere verbis exprimitur: *ἔστησαν οὐ πρόσθεν — πρὶν — ἐγένοντο.* Eo magis mirum est, quod duobus locis Κυρ. παιδ. I, 4, 23 et Ἀγησ. 2, 4 melioris notae codices habent *πρὶν ἤ*, quod ex analogia ceterorum exemplorum in *πρίν* simplex mutare non dubito. Deinde tribus locis Ἀν. VI, 1, 27; Ἑλλ. VII, 4, 18; Οἰκον. 2, 9 eadem formula *οὐ πρόσθεν* (semel *πρότερον*) *παύσασθαι — πρίν —.* et Ἀγησ. 2, 20 similis elocutio *οὐ πρότερον ἔληξε, πρίν* invenitur.

Restant tres loci, qui quidem non merum aoristum habent, verbum tamen auxiliare δύνασθαι cum infinitivis aoristi copulatum (Ἑλλ. V, 4, 58 οὐκ ἐδύναντο σχεῖν, πρὶν ἐλιποψύχησε et Κυρ. παιδ. VI, 4, 11 οὐ πρόσθεν ἐδύναντο θεάσασθαι, πρὶν ἀπῆλθεν); semel infinitivus praesentis a verbo ἐθέλειν pendens extat Ἀν. I, 2, 26: ὁ δ' οὔτε πρότερον οὐδενί πω κρείττονι ἑαυτοῦ εἰς χεῖρας ἐλθεῖν ἔφη οὔτε τότε Κύρῳ ἰέναι ἤθελε, πρὶν ἡ γυνὴ αὐτὸν ἔπεισε καὶ πίστεις ἔλαβε. Hoc loco infinitivus praesentis ἰέναι opponitur antecedenti infinitivo aoristi ἐλθεῖν.

Singularis est locus Οἰκον. 7, 7 οὐ μὰ Δί', οὐ πρίν γε καὶ ἔθυσα, non solum propter particulam γέ, quam nullo loco aut Thucydideo aut Xenophonteo, solam coniunctioni πρίν additam invenimus, sed etiam propter ellipsin verbi regentis, quod ex enuntiato antecedenti Τὰ δ' ἄλλα αὐτὸς ἐ π α ί δ ε υ σ α ς τὴν γυναῖκα depromendum est.

Neque minus memorabile est aliud exemplum Ἑλλ. IV, 8, 28, propterea quod ἀνακαλουθίαν continet. Periodus enim incipit his verbis: ἐπιτυχὼν δ' ἐν τῇ Λέσβῳ ταῖς πόλεσιν πάσαις πλὴν Μυτιληναίων λακωνιζούσαις, ἐπ' οὐδεμίαν αὐτῶν ἤει, πρὶν ἐν Μυτιλήνῃ συντάξας τούς τε ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ νεῶν τετρακοσίους ὁπλίτας κτλ. Exspectamus ex usu Xenophonteo exeunte enuntiato indicativum. Sed posteaquam duo alia participia coniuncta προςλαβών et ἐλπίδας ὑποθείς addidit, Xenophon propter ampliorem verborum circuitum πρίν coniunctionis in initio periodi positae haud satis memor sententias modo expressas brevi complexus clausulam per ἀνακόλουθον facit: ταῦτα δὲ παραμυθησάμενος καὶ συντάξας ἦγεν αὐτοὺς ἐπὶ τὴν Μήθυμναν.

Reliquum est, ut locos Xenophonteos, qui coniunctivum sive optativum post πρίν particulam praebent, paucis persequar. Sunt hi viginti duo; plerumque pertinent ad tempus futurum. Duobus locis enuntiatum primarium mero futuro (Ἀπομν. IV, 4, 9: οὐκ ἀκούσει πρίν γ' ἂν ἀποφήνῃ et Οἰκον. 3, 1), duobus aliis prohibitivo continetur (Ἀν. V, 7, 12: μὴ ἀπέλθητε, πρὶν ἂν ἀκούσητε et

Κυρ. παιδ. VII, 1, 17); uno loco optativus aoristi cum *ἄν* antecedit *Οἰκον.* 12, 1 (*ἐπεὶ οὐκ ἂν ἀπέλθοιμι, πρὶν παντάπασιν ἡ ἀγυρὰ λυθῇ*), semel verbum petendi *δεῖσθαι* '*Αν.* I, 1, 10 (*δεῖται μὴ πρόσθεν καταλῦσαι, πρὶν ἂν συμβουλεύσηται*), semel verbum *χρῆναι* '*Αν.* V, 7, 5. Sexies ratio periodi est iterativa, ita ut tempus praesens anteeat, quinquies indicativus (*'Ελλ.* VI, 3, 16; *'Απομν.* IV, 2, 25; *'Ιερ.* 6, 13; *Κυνηγ.* 3, 6 et 5, 2), semel participium (*Κυρ. παιδ.* I, 2, 8: *ὁρῶσιν οὐ πρόσθεν ἀπιόντας, πρὶν ἂν ἀφῶσι*). His locis omnibus oratio est recta. Coniunctivus igitur post *πρίν* coniunctionem adhibetur. — Iam sequantur octo exempla, quae orationis obliquae forma utuntur, quorum duo tantum coniunctivum servaverunt (*Κυρ. παιδ.* II, 2, 8: *εἶπον μηδένα τῶν ὄπισθεν κινεῖσθαι, πρὶν ἂν ὁ πρόσθεν ἡγῆται* et *Συμπ. φιλοσ.* 4, 28); cetera sex tota periodi structura in orationis obliquae formam redacta in optativum transierunt (*'Αν.* I, 2, 2; *'Ελλ.* II, 3, 48 [bis]; II, 4, 18; VI, 5, 19; *Κυρ. παιδ.* I, 4, 14). Quattuor locis totus verborum circuitus pendet a verbis dicendi, ita ut infinitivus negatione *μή* instructus sequatur et ille quidem ter praesentis, semel post verbum *ὑπισχνεῖσθαι* futuri. Duobus ceteris locis antecedit infinitivus cum *ἄν* particula coniunctus pendens a verbo *οἴομαι* *'Ελλ.* II, 3, 48, ubi brevi spatio interiecto duo coniunctionis *πρίν* exempla exstant, quorum prius ad infinitivum praesentis *εἶναι*, posterius ad infinitivum aoristi *ἐγγενέσθαι* spectat. — Memorabilis vero est unus Anabaseos locus VII, 7, 57. In optimis codicibus verba sic leguntur: *προσελθόντες δὲ αὐτῷ οἱ ἐπιτήδειοι ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἐδέοντο μὴ ἀπελθεῖν, πρὶν ἂν ἀπαγάγῃ τὸ στράτευμα καὶ Θίβρωνι παραδοίη.* Minime assentior Sckenkelio, qui deleto illo *ἄν* priorem coniunctivum in optativum mutare vult. Probabilius est Xenophontem scripsisse coniunctivum *παραδῷ*. Similis corruptela in alio Hellenicorum loco latere videtur. Legitur enim II, 4, 18: *καὶ γὰρ ὁ μάντις παρήγγελλεν αὐτοῖς μὴ πρότερον ἐπιτίθεσθαι, πρὶν ἂν τῶν σφετέρων ἢ πέσοι τις ἢ τρωθείη.* Hunc locum critici aut ita emendare studuerunt, ut deleto illo *ἄν* optativum

servarent,[1]) aut ut conservata ἄν particula duplicem coniunctivum efficerent.[2]) Quamquam Lueth sub exitum dissertationis suae, ubi locum Antiphontis similem V, 34 tractavit, ne in Xenophontis quidem loco quidquam mutandum esse addit, tamen, num Xenophon, qui quidem maximopere normam dicendi vulgarem sequitur, structuram hanc singularem in suum usum converterit, valde dubito. Equidem cum Sauppio coniunctivos *πέσῃ* et *τρωθῇ* praeferam, praesertim quum haec emendatio, si codicum scripturam respicimus, facillima sit. Alio eiusdem libri loco primo aspectu facile quispiam suspicetur eundem optativum cum *ἄν* particula consociatum post *πρίν* coniunctionem inveniri II, 3, 48 (*ἐγὼ δ' ὦ Κριτία, ἐκείνοις μὲν ἀεί ποτε πολεμῶ τοῖς οὐ πρόσθεν οἰομένοις καλὴν ἂν δημοκρατίαν εἶναι, πρὶν ἂν ἀποδόμενοι τὴν πόλιν δραχμῆς μετέχοιεν*). Sed sententiarum rationem accuratius contemplanti mox apparebit illud *ἄν* cum participio *ἀποδόμενοι* potestatis condicionalis significandae causa coniungendum esse.

Si de tempore enuntiati a *πρίν* coniunctione pendentis quaerimus, ut Thucydides uno loco excepto VI, 38, 2, ubi coniunctivus praesentis *ὦμεν* occurrit, semper aoristum adhibet, sic etiam Xenophon aoristi modos praefert. Nec revera ullum aliud tempus exspectamus, quoniam modus enuntiati secundarii latinorum futuro exacto respondet. Quid vero dicemus de tribus locis, qui temporis praesentis modos praebent? Ac primum quidem *Κυρ. παιδ.* II, 2, 8 legitur: *εἶπον μηδένα τῶν ὄπισθεν κινεῖσθαι, πρὶν ἂν ὁ πρόσθεν ἡγῆται.* Sed hic coniunctivus *ἡγῆται* non re vera est praesentis. Xenophon quum in aliis verbis proficiscendi, tum saepissime in verbo *ἡγεῖσθαι* imperfectum *ἀοριστικῶς* usurpare solet; (locos *Ἀν.* II, 2, 8; IV, 1, 15; V, 2, 6; *Ἑλλ.* VI, 5, 21 nominasse satis erit) itaque coniunctivus praesentis *ἡγῆται* quasi aoristi vicarius quominus notionem futuri exacti induat, nihil impedit.

---

[1]) Cf. Lud. Dindorfii edit.

[2]) Cf. Sauppe, quaestiones Xenoph., pag. 7.

Gravius est alterum exemplum Ἑλλ. II, 3, 48, quod modo attulimus. Hic occurrit optativus praesentis (μετέχοιεν). Quum neque apud poetas scaenicos (nihil enim forma ἐξήκοι in Soph. Philect. 199 valet, quippe quae vim habet aoristi), neque apud oratores Atticos inveniatur huius temporis optativus, suspicionem facile posse oriri non infitiandum est, num haec lectio sit genuina. Attamen patronus huic loco existere audeo. Quidnam optativus praesentis hoc loco usurpatus habuerit causae, quo clarius perspiciatur, est mihi tanti totum locum accuratius adscribere. Verba in paragrapho duodequinquagesima haec leguntur: ἐγὼ δ' ὦ Κριτία, ἐκείνοις μὲν ἀεί ποτε πολεμῶ τοῖς οὐ πρόσθεν οἰομένοις καλὴν ἂν δημοκρατίαν εἶναι, πρὶν καὶ οἱ δοῦλοι — δραχμῆς μετέχοιεν, καὶ τοῖς δέ γ' αὖ ἀεὶ ἐναντίος εἰμί, οἳ οὐκ οἴονται καλὴν ἂν ἐγγενέσθαι ὀλιγαρχίαν, πρὶν εἰς τὸ ὑπ' ὀλίγων τυραννεῖσθαι τὴν πόλιν καταστήσειαν. Conspicua est oppositio quaedam rhetorica, quae inter duas sententias inter se comparatas intercedit. Respondent in vicem εἶναι et ἐγγενέσθαι, μετέχοιεν et καταστήσειαν, ita ut prioris periodi infinitivus atque optativus propius ad rationem Latinorum futuri primi accedant, posterioris futuro exacto vertendi sint. Ab huius loci natura valde abhorret alterum optativi praesentis exemplum. Ἀν. II, 2, 2 melioris notae codices habent πρὶν αὐτοὺς κατάγοι οἴκαδε. Siquidem autem nulla causa nobis sese offert, cur hoc ipso loco Xenophon a norma vulgari digressus sit, lectionem καταγάγοι ab omnibus fere criticis contra codicum auctoritatem receptam comprobare non dubito.

Atque antequam huic operi finem imponam, una quaestiuncula mihi movenda videtur, utrum ex usu πρίν particulae de authentia librorum nonnullorum Xenophonteorum iudicium ferre possimus necne. Etenim si in scriptis maioribus consuetudinem dicendi Xenophonteam optime expressam esse iudicamus, nonnullae in minoribus observandae sunt discrepantiae. Neque enim infinitivus praesentis, qui in Cyropaedia, Hellenicis, Anabasi frequentior est, usurpatur, et coniunctivo

interdum particula ἄν deest (*Οἰκον.* 12, 1 et *Κυνηγ.* 3, 6), id quod in libris maioribus numquam occurrit. Neque praetermittendi sunt loci duo (*Ἀπομν.* IV, 4, 9 et *Οἰκον.* 7, 7, quorum alter ante coniunctivum, alter ante indicativum πρίν γε exhibet; quae formula apud omnes Atticorum scriptores pedestres inaudita, a Thucydide bis tantum in formula πρίν γε δή usurpata e tragoedia fluxisse videtur. Quum autem singularia haec non tantopere valeant, ut in universum concludere nobis liceat, quumque nonnulli commentarii, velut qui πόροι, *Λακεδαιμονίων πολιτεία, ἀπολογία Σωκράτους* inscribuntur, propter inopiam exemplorum nullam nobis suppeditent diiudicandi materiem, iudicium de authentia librorum minorum ferre non audeo.

Postremo loco quibus rebus Thucydides et Xenophon in πρίν particula construenda inter se congruant, quibus discrepent, brevi comprehendam. Oratorum quoque Atticorum usum, qualis in Luethii dissertatione accuratius descriptus est, in comparationem vocabo, ut quomodo vetustior Atticorum oratio pedestris hanc particulam adhibuerit, appareat.

I. De infinitivi particulam πρίν sequentis usu sic statuo:

1) Thucydides infinitivum sexagies septies adhibuit, uno et quadraginta locis aoristi, sedecim locis praesentis, quorum sex verba proficiscendi, tres infinitivum εἶναι, unus infinitivum ἥκειν praebet. Notione futuri antecedente tres tantum occurrunt praesentis infinitivi (ἔχειν, ἥκειν, ἐκπλεῖν). Item enuntiatum negativum, quod sexies antecedit, ter sequitur praesentis infinitivus. Vocabulum πρότερον ante infinitivum non invenitur, nisi quattuor locis cum ἤ coniunctum, e quibus unus est negativus.

2) Xenophon infinitivum centies septies usurpavit, quater et septuagies aoristi, semel et tricies praesentis (quo in numero septies εἶναι, semel ἥκειν), bis perfecti. Notionem futuri duodecies iam

subsequitur praesentis infinitivus. Negatio sexies antecedit. Quater etiam πρότερον — πρίν exstat.

3) Oratores Attici infinitivo aoristi circiter centies quinquagies, praesentis quindecim locis usi sunt, quorum sex Demosthenis, Aeschinis quattuor sunt. Qui perfecti infinitivum exhibent loci sunt suspiciosi. Enuntiatum primarium locis undeviginti negatione exstructum est, quorum undecim apud Demosthenem inveniuntur. Formulae πρότερον — πρίν multo saepius indulserunt.

II. Ratio modi finiti a πρίν coniunctione pendentis haec est:

1) Indicativum Thucydides duodecim locis ursurpavit, novies aoristi, bis praesentis historici, semel imperfecti. Sexies sententia est affirmativa, sexies negativa. Sententiam affirmativam sequitur quater πρὶν δή, semel πρίν γε δή, quod semel etiam post negationem occurrit cum praesente historico coniunctum. Duobus locis exstat οὐ πρότερον — πρίν, non minus saepe οὐ πρότερον — ἤ. Coniunctivum cum πρίν coniunctione copulavit undecies, decies aoristi, semel praesentis (ὦμεν). Sexies addidit ἄν, quinquies omisit; numquam antecedit πρότερον, quod semel cum ἤ particula coniunctum invenitur. Optativum duobus locis posuit vocabulo πρότερον non addito in oratione obliqua.

2) Indicativus apud Xenophontem vicies a πρίν coniunctione pendet et ille quidem semper aoristi (quo in numero duo imperfecta ἧκον et ἧκε numeranda sunt). Excepto uno loco semper vera antecedit negatio, quae sexies cum voce πρότερον, decies cum vocabulo πρόσθεν coniuncta est. Semel habemus πρίν γε. Cum coniunctivo πρίν coniunctio sedecim locis consociatur et illo quidem semper aoristi excepto uno coniunctivo praesentis ἡγῆται. Bis particula ἄν deest; semel exstat πρίν γε. In enuntiato primario ter invenitur πρότερον, semel

πρόσθεν. Sex locis habemus optativum, semel praesentis, cui bis πρόσθεν, semel πρότερον antecedit. Enuntiatum primarium semper negatione praeditum est.

3) Oratores Attici πρίν coniunctionem cum indicativo aoristi locis vinginti tribus, quorum tredecim sunt Isocratis, quinque Demosthenis, coniunxerunt. Coniunctivum tribus locis iisque dubiis exceptis semper particula ἄν instructum ter et tricies adhibuerunt, quo in numero tres sunt praesentis coniunctivi. Optativo fere omnino abstinuerunt, praeterquam quod Isocrates eum bis, Antiphon semel et ille quidem cum particula ἄν coniunctum exhibent in oratione obliqua. Semper praecedit negatio.